This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

2 a 4

V. E. LOESCHERI

LITERATOR CELTA,

SEV

DE EXCOLENDA LITERATVRA EVROPÆA, OCCIDENTALI ET SEPTENTRIONALI CONSILIVM ET CONATVS.

CVRANTE

JOANNE AVGVSTINO EGENOLF.

LIPSIAE,
Sumtibus JO. CHRISTIAN. MARTINI,
AN. MDCCXXVI.

2

LECTOR BENEVOLE.

JUris tandem publici hunc librum facturus, ideo mihi de illo nonnihil esse præmonendum censeo, quod jam aliquoties in Catalogis, quos vocant, librorum nundinalibus, & Ephemeridibus literariis, mentio ejusdem fuerit facta. Ab eo tempore annus jam effluxit duodecimus, & amplius spatium, quo hunc ingenii sui fœtum benevole mecum communicavit, Vir summe Venerandus, Magnificus, meritisque in puriorem Dei coetum, in remque literariam infinitis ita clarus, ut omnem meam laudem excedat. Hunc fœtum ab ipso conceptum, jam olim ex Epistola ejus didiceram, ad Dominum Feustelium nostrum, Theologum & Philologum Celeberrimum, qua ita disserit: Literator Celta eodem Schediasmate commemoratur, sive liber affectus de linguarum Celticarum p. 728. Ipsa Epistola addita est Miscell. Sacr. et Erud. Feustelii.

ticarum veris originibus & progressu, quo inprimis de Radicibus antiquissimis & Noeticis, sive Celticis, speciatim sic dictis & Teutonicis Saxonicisque ac Alemannicis agitur.

Non diffiteor, eo me genere literarum mirifice capi, & inter cupedias & λυσικάκους voluptates censere, si grando vel per unam alteramque horulam his studiis vacare possim. *Cum igitur, aliis negotiis intentus Drèsdæ commorarer, facili impetravi negotio a Viro vere Magnifico, ut hasce suas lucubrationes a me describi pateretur. Quo celeriter facto, nonnullas ex qualicunque meo penu, adjunxi accessiones, atque ita opusculum Domino Auctori Excellentissimo remisi, qui vero per nonnullos annos secum id retinuit, occupationibus suis infinitis impeditus. Sed cessit tandem precibus meis, atque approbatis paucis & tenuibus, quas addideram, meditationibus, quibus vero nihil præsertim in*

Histori-

Hiſtoricis, de priore contextu erat immutatum, ſua manu & auctum & emendatum reſtituit Librum, inſcriptione ejus paulo aliter, atque ego feceram, eaque facie, qua nunc apparet, adornata. Quæ cum agerentur, contrahebam cum viro Clariſſimo Ioanne Elia Hedero b. m. amicitiam, qui curæ noſtræ duos commiſerat filios, & his æque, ac ego ſtudiis mirifice delectabatur. Hic MS. hoc conſpiciens, idem ſe continuaturum mihi recepit, mutuo (degens quippe in hac vicinia) ex mea librorum ſupellectile, quicquid hanc ad rem videbatur facere, accepto. Aggrediebatur opus ſtrenue, & multa, ut erat induſtria prorſus adamandina, congeſſerat, ſed, quæ mihi deinceps nulli penitus uſui fuerunt. Quo enim elegantius pingebat, ubi animum attendebat, eo minus legi poterat ejus character, ſi quid calamo exaraverat fugitivo. Verum uti ſunt fata rerum humanarum, is huic aliis-

Videantur de eo Nov. Literaria Germ. Lipſ. An. 1723. p. 323.

nondum haberi credens. Illud quidem certum eſt, eam in illo Epiſtolarum Eraſmi volumine, quod mihi eſt, non reperiri, in operibus ejusdem, quippe quæ hac in urbe non ſuppetunt, de ea diſpicere mihi haud licuit, &, cui id negotii dederam, amicus quidam Lipſienſis, me certiorem fecit, dictam ſe Epiſtolam omni adhibita inquirendi ſollertia in memoratis jam Eraſmi operibus non reperiſſe. De ceteris, cum illis literis, quibus anno Seculi hujus XXIII. Magnificum Læſcherum noſtrum inviſi; propoſitum argumentum de Connexionibus Divi Lucæ in quibusdam eruditorum ephemeridibus fuerit recenſitum, non neminem putare obſervavi, eam mihi eſſe ſententiam, primario de Adagiis Chriſti agere voluiſſe Lucam, neque me exiſtimare, hoc ei potiſſimum in ſcribendo fuiſſe conſilium, ut, non ſecus, ac reliqui Evangeliſtæ Hiſtoriam Servatoris literarum monumentis conſignaret. Verum hoc, ſicut ex initio noſtræ illius Epiſtolæ patet, præſtruo, neque unquam in dubium vocavi. Quum vero id cum ceteris Evangeliſtis commune habeat Lucas, certumque ſit, in ſtylo & tractandi ratione ſingulorum peculiare aliquid obſervari, de re ab omnibus conceſſa amplius agere ſuperſedi, tantum illud ad Lucæ ſingulare eſt, ponderare ſtudens. Tu L. B. vale & his utere felix.

Dabam Grimmæ ipſis Calendis Junii,

A. C. M. DCC. XXVI.

J. N. J.

THES. I.

FAs est, Germaniæ, quæ centrum & matrix septentrionalium gentium est, incolas præceteris elaborare in excolenda lingua, quam reliquæ septentrionales genetricem agnoscunt, aut cognatam tamen natu majorem venerantur; cum certum sit, ejus culturam omni literaturæ septentrionali præferre facem: idque magni viri, Vulcanius, Lipsius, Grotius, Junius, Cangius, Spelmannus, Menagius, aliique ultro agnoverint. Est vero hujus studii non contemnenda utilitas, quippe ex quo tum juris Germanici veteris, & consuetudinum illustratio, tum historiæ Septentrionalis etiam amplificatio, veraque indoles nominum plerorumque et minus cognitorum atque alia commoda innumera prodeunt. Cum primis vero sancti Herois Lutheri exemplum excitare ad illud ornandum nos debet, qui in summo pro Ecclesiæ periclitantis salute studio ac contentione, ut potuit, de his cogitavit literis, libellumque de antiquis Germanorum nominibus posteris reliquit:

Imo et exterorum hominum exempla, cumprimis Petri Pithæi, Caroli Cangii, & Hickesii, qui has ad se prope nihil pertimentes literas, magno animi cum ardore et successu coluerunt, pudorem velut excutere nobis possent, tanquam bonorum domesticorum parum curiosis, & quæ ad nos potissimum spectant, supina otiantia negligentibus. Denique raritas hujus studii ejusque singularis amœnitas vel torpentes Germanos ad curam laboremque in his ponendum summo jure provocabunt.

THES. II.

INtelligo autem cumprimis per literaturam septentrionalem

1.) Linguæ *Theotiscæ* vel Teutonicæ veteris studium.

2.) *Gothicæ*, tum inferioris vel meridionalis, tum septentrionalis vel Scandicæ; Præterea.

3.) *Saxonicæ* inter veteres Anglos florentis: Denique.

4.) *Cambricæ* S. Walhicæ vetustæ, olim in universa, nunc in extrema Britannia florentis. Hinc enim resultat interior & solidior notitia linguarum hodiernarum, Germanicæ, Belgicæ, Danicæ, Suedicæ, Islandicæ, ac præterea monumenta septentrionis veteris Runica feliciter explicari possunt.

THES.

THES. III.

HActenus quidem non prorſus deſerta fuit hæc Provincia, quin potius præterea, quæ ipſis ſeculis barbaris *Iſidorus Hiſpalenſis*, *Hrabanus Maurus*, *Kero*, *Ruodbertus* & *Trithemius* in cultura Theotiſcæ linguæ præſtiterunt, *Lutherus* noſter ſcripto de nominibus propriis Germanorum opuſculo viam poſt tenatas literas omnibus quaſi præivit. Secutus eſt *Conradus Geſnerus*, qui in Mithridate ſ. libello de veteribus linguis nonnihil ad hoc negotium contulit: addo *Caſp. Waſerum* in Commentario ad Mithridatem & *Marquardum Freherum* hinc inde in eruditiſſimis, quæ edidit, monumentis aliquid huius rei decarpentem. Præter hos *Matthias Flacius* edito Otfridi Evangelio, nec non *Franciſcus Raphelengius* publici iuris facta, Wicrami in Canticum Canticorum paraphrali, *Joh. Tokus*, & *Wilhelmus Lambardus* Angli, in publicum productis Evangeliis & legibus Saxonicis, literaturam ſeptentrionalem notiorem reddere cœperunt. Secutus eſt *Bonaventura Vulcanius*, qui exeunte ſeculo XVI ſpecimina Gothicæ, Francicæ, Saxonicæ, aliarumque veterum linguarum vulgavit, nec non *Juſtus Lipſius*, qui gloſſas aliquot Theotiſcas publicas fecit; cumprimis vero *Melch. Goldaſtus* Tom. II. antiquarum Alemannicarum gloſſaria &

ſpecimina aliquot Francica exhibuit, atque in Parænoticis, quos edidit, ſcriptoribus unum alterumque Theotiſca olim lingua ſcriptum orbi erudito ſtitit. Præterea *Boxhornius*, in Monumentis primis Chriſtianæ religionis inter Germanos, atque *Lambecius* Lib. II. de Bibliotheca Vindobonenſi, tum & *Olaus Wormius* edito libro de literatura Runica, & monumentis Danicis; *Reſenius* typis ex ſcripto Eddæ libro. *Olaus Verelius* publicatis Gothicis, Olai Triggonis, aliisque hiſtoriis, Scandica lingua ſcriptis, & manuductione ad Runographiam, has literas exornarunt.

THES. IV.

SEculo XVII. adoleſcente Angli maxime atque Belgæ nonnulli has literas ex cofendas ſibi ſumſere, nam *With. Lilius* quædam Alfrici Saxonici ſcripta edidit, Spelmannus vero Pſalterium Saxonicum, *Abrah. Weblocus* Olfredi Regis Saxonici Paraphraſes, pari ſtudio *Somnerus* dictionarium Saxonicum. Denique *Franciſcus Junius* Ulphilæ Evangelia Gothica, Cælmonis Saxonici Poetæ paraphraſin Geneſeos. Apud nos *Martinus Opitius* Annonis Archiepiſcopi Colon. vitam Theotiſca lingua ſcriptam publicavit. Noſtra deinceps ætate non ſolum *Franciſci Junii* gloſſarium Gothicum prodiit, verum etiam *Hickeſii* Grammatica linguarum

guarum septentrionalium, & *Schilteri* codex juris feudalis Alemannici. Illustrem quoque *Leibnitium* has Musas diu coluisse, docent ejus Collectanea etymologica posthuma, quibus & *J. H. Ottii*, *Jo. Claubergii*, ac *Abrahami Milii* huc pertinentes lucubrationes continentur. Ostfridi à *Diepenbrock Stadensis* emendati particula cum egregiis notis: *Tatiani* Harmonia Theotisca scripta cum optimis annotationibus *Palthenii*, denique catechesis Theotisca Monachi Weissenburgensis cum observationibus *Eccardi*. Idem *Eccardus* historiam studii Etymologici Linguæ Germanicæ A. MDII. publicavit, promisitque vastum opus Lexici linguæ Germanicæ Etymologici. Simile quid pollicetur *Joh. Leonh. Frischius* Gymnasii Berolin. Sub-Rector. Addimus *Schilteri* thesaurum antiquitatum Teutonicarum, promissum quidem ab illustri viro, sed hactenus in tenebris latentem. *Omnino his adjiciendus liber ornatiss. Viri Clariss. Joh. Henr. à Seelen Gymn. Lub. R. cujus Titulus: Memoria Stadeniana, sive de vita Scriptis ac Meritis Diedr. a Stade Commentarius, varia simul Historica Philol. & imprimis Teutonica complectitur 1725.* neque minus, *Bernh. Pezii Opus, quod vocat Thesaurum Anecdotorum German. novissimum, in cujus T. I. Parte I. no. V. I. Glossarium Latino Theodiscum in sacra Biblia auctore anonymo, qui circa Sec. chr. X. vixit, & varia alia ejusmodi*

modi monumenta habentur: & denique liber Joh. Phil. Schannati, qui inscribitur: Sammlung alter Teutschen Schrifften. Fulda 1725. V. Nova Lit. Lipſ. Germ. p. 142. 1726. &c.

THES. V.

His præmiſſis, rem ab ovo velut orſurus, conſilium de literatura ſeptentrionali expoliendâ, prout res ipſa hoc ſuggeſſit, ſuppeditabo. Et primum quidem ſuadeo, ut harum rerum ſtudioſus in promptu habeat, notiſſimasque ſibi reddat figuras literarum Gothicarum, Runicarum, Anglo-Saxonicarum, cum Latinis illis, quas Monachales vocamus, majores primum quas unciales vocant, deinceps minores &c. In cujus rei uſum ſequens ſchema alphabeticum decem literalis ſerviens commendo.

THES. VI.

COmparanda porro ſunt ſequentia, quæ ad literaturam Septentrionis pertinent monumenta, & velut fontes hujus doctrinæ:

Ex. Sec. IV. 1.) Ulphilæ codex Evangeliorum.

Ex. Sec. VI. 2.) Codex Evangeliorum Anglo-Saxonicus.

3.) Pſalterium Anglo-Saxonicum à Spelmanno editum.

4.) Cædmonis Paraphraſis poëtica Geneſeos, Anglo-Saxonica.

5.) Leges Anglo-Saxonicæ editæ à Lambardo.

6. Ælfre-

6.) Ælfredi Regis & Alfrici Anglo-Saxonica, quæ extant.

7.) Monachi Weiſenburgenſis, Harmonia Evangeliſtarum Tatiani idiomate Theotiſco edita à Pakhenio. Ex.Sec.IX.

8.) Othfridi volumen Evangeliorum lingua Theotiſca. Ex.Sec.IX.

9.) Specimen Pſalterii *Notkeri* à Schiltero editum. Ex. Sec. X.

10.) Willerami Canticum Canticorum Dialecto Francica & Alemannica. Ex.Sec.XI.

11.) Monachi Weiſenburgenſis Catecheſis & cetera catechetica monumenta Theotiſca ab Eccardo vulgata.

12.) Vita Annonis Theotiſce ſcripta, edita ab Opitio,

13.) Inſcriptiones Runicæ, quæ magno numero extant in fine Hiſt. Goth. à Verelio editæ, & in Pæringskiældi notis ad vitam Theodorici Verpnenſis. Ex.Sec.XII.

14.) Rudolphi von Hohenems Vetus Teſtamentum in verſibus.

15.) Edda à Reſenio edita.

16.) Literatura Runica Wormii, ejusdemque monumenta alia.

17.) Olai Verelii manuductio ad Runographiam aliaque ab ipſo edita. Ex.Sec.XIV

18.) Diſticha Runica vetuſtiſſima præmiſſa Gloſſario Gothico Junii p. 25. ſeqq.

19.) Conrad von Helmsdorff Biblia abbreviata.

20.] Stephani Pfoellnchoven Evangelium.
21.] Matthæi von Behem quatuor Evangeliſtæ.
22.] Verſio Bibl. juſſu Wenceslai Imperat.

THES. VII.

POſt hæc evolvenda ſunt diligenter Gloſſaria ſequentia:
1.] Franc. Junii Gloſſarium Gothicum.
2.] Lexica Islandica.
3.] Dameſii Lexicon Cambricum.
4.] Wilh. Somneri Dictionarium Saxonico-Anglicum. Gloſſarium autem Theotiſcum & Runicum plenius deſideratur. Conferre quoque debent gloſſæ minores cumprimis Theotiſcæ. Hrabani, Keronis, Lipſii, Goldaſti: Huc etiam faciunt indices Stadenii, Palthenii, & Eccardi ad libros ſupra nominatos.

THES. VIII.

PRæterea auctor ſum, ut inprimis ſummo ſtudio perluſtrentur obſervationes virorum in hac doctrina verſatiſſimorum: Thomæ Mareſchalli ad Evangelia Gothica & Saxonica, Stadenii ad Ottfridum, Palthenii ad Tatianum, Eccardi ad Catecheſin Theotiſcam Schæfferi & Verelii ad Hiſt. Gothrici & Rolphi, Neque negligatur lectio curioſi libri, quem de quatuor linguis Mericus Caſaubonus edidit Denique nummi atque inſcriptio-

ſcriptiones Gothorum, Francorum, Saxonum, Danorum, Suecorum, Norvagorum & Islandorum, quotquot haberi poſſunt, omni ſtudio perveſtigentur.

THES. IX.

HIs præmiſſis, in medium conſulo, ut reliquiæ linguarum veterum univerſi ſeptentrionis tum ex Græcis Latinisque auctoribus tum ex legibus priſcis, & undecunque præterea id fieri poterit, colligantur; Servandum autem hoc diſcrimen eſt, ut antiquiſſima, antiqua & media hîc diſcernantur. *Tres enim ſeptentrionis antiqui periodos* jure ac merito ponimus.

α] *Antiquiſſimam*, à primo videlicet Celtarum & Teutonum in has regiones ingreſſu, usque ad Plinium.

β] *Secundam*, quæ antiqua etiam dici poteſt à ſeculi poſt N. C. primi exitu, usque ad Carolina tempora.

γ] Denique ab ævo medio *media & tertia* vocatur, quæ à Carolino Seculo uſque ad auream Bullam extenditur. Sequentia enim omnia nova jam dici poſſunt.

Ad primam Periodum pertinent.

1.] Reliquiæ Gallorum veterum tam Celtarum, quam Belgarum.
2.] - - Britannorum.
3.] - - Germanorum ſubhercynianorum ſive meridionalium.

4.] Reliquiæ Vindelicorum.
5.] - - Noricorum.
6.] - - Rhætorum.
7.] - - Pannoniorum longe diſtantium ab hod. Hungris.
8.] - - Cimbrorum, quibus etiam addi poſſunt micæ Hiſpanorum Celtibérorum.

Ad *ſecundam Periodum* ſpectant.

1.] Reliquiæ Suevorum, ad quos referendæ etiam ſunt Burgundicæ, Heruli-cæ, Vandalicæ, Longobardicæ 234.
2.] - - Gothorum.
3.] - - Francorum.
4.] - - Saxonum.
5.] - - Scanorum vel Incolarum Scandiæ vetuſtiorum.

Ad *tertiam vero Periodum* reduci debet.

1.] Idioma Helveticum.
2.] - - - Suevorum recens ſic dictorum.
3.] - - Francorum orientalium.
4.] - - Saxonum ſuperiorum nec non inferiorum.
5.] - - Friſiorum atque Batavorum.
6.] - - Danorum denique ac Norvegorum.
7.] - - Suedorum &c.
8.] - - Islandorum.

THES. X.

PRiusquam ad ſpecialia accedam, breviter ſummatimque explicabo, quid certi de gentium

gentium Europæorum originibus habeam, paucis quibusdam opinatibus meis intermixtis. Ac primum à Iapeto, Noachi filio, illas descendere, [quæ vetustissima & propè catholica sententia est, in sacris etiam libris fundata] nemo facile negaverit. Non autem semel omnes ac simul prodierunt, sed aliæ quidem antiquiores, aliæ recentiores habentur. Initio quidem paulo post, vel etiam cum *Græcis*, [qui etiam Iapeti progenies sunt] in Europam venerunt ex Thracia Iapetigeniæ quidam, qui Illyricum, Pannoniam, Noricum, porro & Rhætiam insederunt; præterea Italiæ partem maximam, ipsamque Sicaniam, tandem & Galliæ partem meridionalem & Hispaniam occuparunt. Hos *Siculos* nonnunquam & Aborigines à priscis vocari constat: quare ipsorum linguam & voces, quibus usi sunt, *Sicanicas*, & *Ante-Celticas* appellare soleo. Aliquot post seculis *Celtæ strictius* dicti, quorum majores à Iapeti filiis orti ad septentrionem Ponti Euxini vixerunt, per Daciam, & Pannoniam superiorem ingressi sunt in Germaniam sub Hercynianam sive meridionalem, mediamque Galliam, quæ & Celtica hinc dicta est. Hi cum Gallos Aborigines sub jugum misissent, Hispaniæ quoque partem sub Celtiberorum nomine possederunt: denique & Britanniæ incolas dederunt. Horum linguam & voces proprie appellamus *Celticas*.

Tandem

Tandem cæteri Iapetigenæ, qui altibus adcenderant ad Riphæos usque montes, Getarumque & Scytharum vicinia usi erant, per Gericas Sarmaticasque regiones abierunt in Germaniam Supra-Hercyniam sive Septentrionalem, qui *Teutonum* & *Theotiscorum* nomen gerebant, quorumque progenies sunt Saxones Angli, qui Britannia capta Britones, versus occidentem in Wallian propulerunt; Dani porro, Suedi & Norvegi, Norvegorumque stirps, Islandi. Horum linguam & voces appellamus *Theotiscas*, sigillatim eorum, qui in Septentrionem Europæ penetrarunt, Scandicas. Gothi cognati ipsorum procul dubio fuere, quod summa linguarum convenientia docet. Igitur Vindelici, Norici & Rhæti Sicanicæ gentes fuerunt, intermixtis tamen, & eandem dominantibus Celtis, quod de Pannoniis etiam dixerim. Cimbri sunt Theotisci, non minus ac Suevorum progenies, Burgundi, Vandali, Longobardi. Idem dicendum de Francis, & Saxonibus, quorum illis quam plurima Hermiones, sive Germani meridionales, Celtici ortus admixti sunt.

THES. XI.

Linguæ *Gallicæ* veteris reliquias collecturi, ante omnia studiose distinguimus Gallis à Francis & Franco-Gallis; eodemque & linguam Gallorum à Francica, qua Carolus Magnus usus

usus est, & Franco-Gallica, quæ hodie per omnes Gallicas floret. Antiquissima Gallorum lingua procul omni dubio Celtica fuit, [Celtica enim Gallia in medio Gallicarum Provinciarum sita est]: adeoque cum Germanorum meridionalium idiomate satis conveniens, quod recte contra quosdam probarunt Ægidius Tschudus atque Phil. Cluverius, Vid. Gesner: in Mithridat. p. 12.

THES. XII.

Juvat indicem reliquiarum linguæ Gallicæ veteris lustrare.

Aber, Gallis portus dicebatur hinc Abrinca & Abrincates, quasi portu carens. Videatur Huetius in Originibus Cadonensibus p. 4. 6. 7. inde Havre Franco-Gallorum.

Abrana Gallis Simius dicebatur, juxta Hesychium Cambri vel hodie retinent dictionem Apralonog.

Acco Princeps Gallicus apud Cæsarem lib. VI. de Bello Gall.

Adcantuamus nomen principis Gallici ap. Cæs. Lib. III.

Alauda Gallica vox, quæ in usum Latinum transiit, & notissimam aviculam itemque genus aliquod cohortis militaris notavit. vid. Sueton. in Vita Cæsaris c. 24. & Plinius. Convenire videtur cum nostro laut. *lauten*, cum alauda maxime sonora avicula sit.

Alb,

Alb, Alp mons præaltus: hinc Alpes, Albium intemelium & alia oppida montana hujus nominis, nec non Albici & Albigenses montium accolæ. Hodie etiam montes Rhætici vocantur *die Alpen*; Alp vero olim dicebatur dæmon montanus.

Ambactus teste Cæsare lib. VI. de Bello Gall. aliisque veteribus Gallis famulum significat, vid Cluv. lib. I. Germ. antiqu. cap. VIII. & XLI. superest apud Belgas vox Ambach, quæ olim officialem, nunc officium significat, unde & receptum inter nos Amb.

Ambigatus Rex Gall. apud Liv. Lib. VI. Hist.

Ambiorix princeps Gallicus vel Eburonum rex ap. Cæsarem lib. V. Gesnerus in Mithridate explicat per aimbrich, h. e. domibus & prædiis dives.

Amb vocabulum Gallis usitatissimum, quod copiam & excellentiam notasse videtur, hinc Ambiani dicebantur. Leibnitz. Pr. Collectan. Etymolog. p. 88. citat vocabula Aremorilana Amledd, abundantia, Amlogyn, signum conspicuum; Amlug conspicuus.

Amyd vox superstes in lingua Franco-Gallica, in qua frumentum amydon dicitur; Cambri priorem illam vocem eodem significatu simpliciter retinent.

Arden sylva Gallis dicebatur, hinc nomen arduennæ Sylvæ ortum est, vid. Huetius in originibus Cadon.

Arepen-

Arepennis, teste Columella, Gallis erat agri mensura quæ boum jugo uno sole arari poterat; unde est Franco-Gallicum Arpent.

Bacchar secundum Dioscoridem Gallicum nomen est asari herbæ.

Bad procul dubio apud Gallos notionem verberandi habuit, unde est Aremoricanum Bæddu & Franco-Gallicum Battre; idem significantia.

Bagaudæ turmæ erant Gallorum rebellium apud salvianum: Aremoricanis hodie turma Bagad dicitur.

Barr seu Barritus Gallis dicebatur cantus altissima fortissimaque voce factus idem ex Germ. vid. Tacitus de Germ. cap. III. & Cluver. Lib. I. Germ. antiqv. cap. 50.

Bardi Gallis & Germ. Sub Hercynianis dicebantur Poëtæ & vates procul omni dubio â cantu solenni. vid. Leibnitiy P. I. Collecti p. 93.

Baril tam Franco-Gallis, quam Aremoricanis mensuram liquidi, dolium notat. Hincque procul dubio antiqum est.

Baro item *Varo* lingua Gallorum dicebatur miles, eratque hujus vocabuli duplex usus: Meridionales enim Celtæ per contemptum servos militum ineptissimos Barones vocabant; vid Persius cap. I. & Scholiastes ejus in h. l. Qui vero ad septentrionem vergebant, honoris & fortitudinis appellationem formabant [Baro enim inter hos

denota-

denotabat hominem liberum ac fortem] vid. Spelmannus in Glossario Angl. nec non optima via incedit Casaubonus qui ad Pers. p. 443. scribit: Hodie adhuc uxores in Gallia maritos suos Barones vocare.

Bus tam Gallis, quam Aremoricanis humile & vile notat, adeoque antiqvum est; unde forsan descendit Bastard.

Basgauda genus sportæ vel corbis apud Martialem. Bretones hoc sensu dicunt Basgaud & Basged.

Bellovesus, heros Gallicus apud Livium Lib. V.

Beliocando secundum Dioscoridem Gallis denotabat millefolium.

Bergomum nomen haud incelebris Gallorum Togatorum urbis Plinio teste, idem est ac montanum, unde colligitur montem Gallis jam ante Christum natum fuisse Berg.

Betuitus apud Liv. Val. Max. & Florum, Rex Arvernorum, juxta Thom. Reinesium idem est Betulff. sive auxilium roganti ferens vid. Eccard. in Hist. Studii Linguæ Germanicæ p. 50. &c.

Bod apud Gallos significationem fundi habet, sicut apud nos vox *Boden*; hinc Bodincomagus apud Plinium Lib. III. c. 15. nomen oppidi Gallici in Insubrius ad Padi locum profundissimum, quasi diceres munimentum loci fundi carentis.

Boduognatus nomen principis Gallici apud Cæsarem lib. II. *Brac-*

Bracca Gallica vox femoralia designans teste Diodoro Siculo & Hesychio. Superest apud Britannos vocabulum Breache, & apud Saxones inferiores Broek eodem sensu.

Brance nomen farris apud Gallos teste Plinio. Supereſt apud Britannos.

Brennus, Brennus est nomen Herois Celtici, expeditione Græca atque Asiatica celebratus: Veteri Gallorum lingua galeam denotat; creditur olim scriptum fuisse Bryn vid. Lutheri Onomasticum.

Breg Gallis olim significabat scisſuram, rupturam, unde & Franco-Gallicum Breche.

Bricumus teste Marcello Empyrico erat nomen Gallicum Artemisiæ herbæ [*Beyfuſs.*]

Britomarus nomen Gallicum compositum ex receptissima terminatione Mar et vocabulo Brit, quod album vel alium præclustrem colorem denotasse Gallis creditur. Anglis Pretuis hodie notat elegans, insigne.

Brog Brug regionem vel provinciam Gallis notabat, ut legitur apud Scholiastem Juvenalis. Hinc Allobroges, Mitiobriges, &c.

Bron pectus significabat: hinc in capitularibus aliisque monumentis Francicis Brunia ponitur pro lorica vel pectoris tegumento. Cambris hodie dicitur Bronfoll, qui & clypeum Brondoor vocant.

Bulga secundum Plinium notabat saccum coriaceum, & supereſt in dialecto Svevica

atque Franconica. Conferantur Festi verba: Bulgas Galli facculos scorteos appellant.

Cad antiquissimum Belli nomen apud Gallos, quod ad Britannos etiam transiit, unde Cadonum. Cambri proelium Catorfod.

Cadomum urbs Gallica, quasi sedes Belli dicta videtur, teste Huetio.

Cætra clypeus brevior apud Celtas, Britannos, Hispanos & Oscos, vid. Leibnitz. P. I. Collect. p. 101.

Camulogenus nomen Gallicum apud Cæsarem Lib. VI.

Carn, rupes, lapidum cumulus, quo sensu hodienum apud Cambros supereſt: hinc Alpes Carnicæ & Cornwallia.

Cateja telum Gallicum apud Virgilium ejusdemque Scholiastam & Isidorum. Vid. Leibnit. p. 103.

Cativulcus nomen principis Gallici apud Cæsarem lib. V.

Catomanteles rectius Cadomanteles nomen Gallici principis apud Gesner. in Mithridate p. 25. qui illud exponit per Germanicum *Kalt*, quasi *Kaltmantel*: rectius à voce Cad, bellum derivatur, ut & præcedentia.

Catuatus nomen Gallicum, apud Cæsarem lib. VII. de quo idem sentio.

Cavarillus nomen Gallicum apud Cæsarem lib. VII.

Cava-

Cavarinus nomen principis Gallici apud Cæſ. lib. V.

Celtillus, nomen principis Gallici apud Cæſarem lib. VI.

Centaredus nomen Gallicum apud Plinium quod Reineſius confert cum Loſymi generido, & per recentius vocabulum Gontaredus explicat. Pertinet huc Anglo Saxonicum Cendred. Aremoricis & Cambris Cennad gratiam & veniam notat.

Cerevisia Plinio teſte Gallis potum ex hordeo coctum ſignificabat, quam Celtæ Septentrionales vocabant Oeliam.

Cingetorix nomen principis Trevirorum apud Cæſarem lib. V. Reineſio judice idem eſt, ac Sinderich ſive *Sinnreich*.

Comius nomen Gallicum apud Cæſarem lib. VI.

Conrodunus, nomen principis Gallici apud Cæſ. libro VII.

Convictolidanus nomen principis Gallici apud Cæſ. lib. VII.

Critognatus nomen principis Gallici apud Cæſar. lib. VII.

Correus, nomen Gallicum apud Cæſarem lib. VIII.

Cucullus, veſtis Gallica apud Martialem, qua caput tegebatur, unde eſt Barbo-Cucullus. Leibnitius inde derivat vetus vocabulum Germanicum *Kokel, Kogel*.

Darn Huetio teste Gallis olim partitionem significabat.

Derw, Dery: apud Gallos erat quercus, convenit cum Græco δρῦς, unde Druidarum nomen, qui in quercetis habitabant, derivari solet.

Divitiacus nomen Gallici principis notissimum.

Drapes nomen Gallicum apud Cæsarem lib. VIII.

Dumnacus Gallicum quoque nomen l.c.

Dumnorix Gallici principis nomen.

Dunum Gallis urbem vel locum judicii significabat, unde Lugdunum, Eburodunum Carrodunum, Gesodunum & alia, idemque Anglo-Saxonum Town.

Duratius nomen principis Gallici apud Cæs. lib. VIII.

Durum vox interminationibus multarum urbium Gallicarum recepta, quales sunt, Marcodurum, Batavodurum, Bocodurum, Ventodurum &c.

Elvicus apud Cæsarem nomen est Principis Vitiobrigum, quod Reinesius restituit pro Olldvico, idem est cum satis noto Helwig.

Epasnactus, principis Gallici nomen apud Cæsarem lib. VIII.

Eporetorix, Gallicum nomen apud Cæsarem lib. VII.

Essedum

Eſſedum Gallis plauſtrum dicebatur, teſte Servio.

Geſum haſtæ genus apud Gallos.

Gal teſte Svetonio in Galba c. III. Gallis animal pingue ſignificabat: unde Pitiſcus in Not. ad Sveton. derivat Germanicum & Belgicum *Kalb*, quod de vitulis bene ſaginatis veteri uſu dicebatur, poſtea ad quosvis translatum eſt. Leibnitius vero inde arceſſit Germanicum *gail* pingve. Galba nomen regis Gallici eſt apud Cæſ.

Garw, *Garu*, Gallis olim notavit rapidum et acrem, unde Camdenus Garumnæ rapidi fluminis nomen deducit. Supereſt in Gallico Loupgarou, et Germanico *Wahrwolff*.

Gebn, *Geſn*, dorſum Gallis ſignificavit, unde dicti ſunt Gebnnici montes, hodie les Sevennes, quaſi dorſum montium.

Gilarus ſerpillum herba Gallis dicebatur apud Marellum Empiricum.

Glas, *Glasdum*, cœruleum colorem indicabat, unde Leibnitius derivat nomen lazoli lapidis l'Azur, quaſi glaſour. Videtur & vitri appellatio Germanica hinc deſcendere.

Glas. Glaſt Splendorem denotat: Der durch deines lichtes Glaſt zu dem Glauben verſammlet haſt. V. Schammelium ad h. l. Quod hodie Weyd vocamus, olim Glaſt vocarunt, unde Lat. Glaſtum Cæſ. d. B. G. V. 14 Omnes ſe Britanni glaſto inficiunt, quod cœruleum

efficit colorem Tac. d. M. G. 45. Succinum Glaſtum vocant.

Glut Gallis guloſum vel edacem notavit, quam ſignificationem retinet in lingva Cambrica, indeque eſt Gallicum Glouton: convenit Latinum glutire. Vid. Leibnit. p. 222.

Guturvatus nomen principis Gallici apud Cæſarem lib. VIII.

Hacnei Gallis equum gradarium notabat, unde eſt recentius Haquenée.

Heſus nomen Idoli Gallici, quod pro Marte vulgo habetur, rectius pro Deo felicitatis, cujus ſymbolum viſcus erat.

Læna veſtis Gallica lintea apud Strabonem, convenit cum noſtro *leinen*. Cambrica len eſt linteamen.

Litavicus nomen Gallici principis apud Cæſarem lib. VII. quod Glareanus, Geſnerus, aliique idem eſſe putant cum notiſſimo Ludovici nomine.

Lug lucem Gallis notavit. Aremoricis & Cambris eadem vox ſupereſt, nec non ſequentia: Luched, fulgor, Luchad, oculus, Amlug, conſpicuus. Majores noſtri dicebant *lüken* rem conſpicuam invenire: unde hodienum Sueuis lugen eſt videre. Conſpirat Latinum lucere.

Lutarius nomen principis Galatarum in Aſiam abeuntium apud Lib. XXXIIX c. 16.

&

& Gallici principis in Europæo ſolo apud Cæſarem lib. VII. qui & mentionem facit Luterii cujusdam lib. VIII. Convenit cum nomine Lotharius, Luther.

Magus nomen Gallicum in terminationibus urbium receptisſimum, qualia ſunt Rothomagus, Neomagus, Duromagus, Borbedomagus, multaque alia; videtur Gallis deſignaſſe cognationem & locum familiæ & cognitionis: [*Wo eine* Familie *beyſammen gewohnet hat*] Hinc & vetus Germanicum *Magen* pro cognatis: [unde *Spill-Magen und Schwerd-Magen*, i. e. *Freunde von Weibes und Mannes Seiten:*] item *Maget* ſeu cognata, unde *Magd. zu Lutheri Zeiten wurden die ledigen Jungfrauen Mægde genennet* i. e. prognatæ *Anverwandte.*

Maer olim præpoſitum præfectum notabat, unde eſt Gallorum, Anglorum & Germanorum *Mæyer*, quorum illud urbis præfectum, hoc villicum notat.

Mar a longum Gallis non minus ac aliis Celtis ſignificabat equum, unde eſt Germanicum *Mæhre* ex abuſu contemptuque vocis ortum. In terminationibus vero vocabulum Marus non equum, ſed nobilem vel inſignem notat, forſam propter â breve v.gr. Textomarus apud Livium [*EdlerGotte*] Wiſimarus: [*weiſs-Edel*] Chundomarus aut Gundamarus, Richomarus [*Reich und*

Edel] Submarus, Othomarus, Dancmarus, Drutmarus, Hincmarus &c.

Montesgus nomen principis Gallici apud Cæsarem lib. V.

Mor, Moer, Mare, hinc Aremorici & Morini dicti vid. Cæsar l. VII. de Bello Gall. c. 75. & Leibnitius p. 133.

Onium vel *Emum,* rectius *Hemam* Gallis aliisque Celtis notavit sedem vel regionem in Bergomum, Cadomum Bojoemum. Hinc Gallis hameau pagus dicitur parvus: affinia sunt Germ. heme & Anglorum ham i. e. domi.

Ollavicus, vid. Elvicus,

Orgetorix Regis Gallici nomen apud Cæsarem, Glareano, & Gesnero idem est ac *Ehrenreich.*

Plumarat teste Plinio lib. XVIII. cap. 18. Gallis aratrum notabat, quod Gesnerus explicat per Germanicum *Pflug-Rad.*

Pyren teste Plinio nomen erat apud Gallos cereviſiæ conveniens, unde noſtrum *Bier.*

Rhedd. secundum Plinium Gallicum nomen currum commode constructum Gallisque usitatum significabat.

Rix rectius *Ric* Gallica vox in terminationibus nominum usu receptissima, divitem vel bene instructum significabat in vocibus Dumnorix, Cingetorix, Orgetorix, Boeorix Fl. III. 3. Viritorix, & Ambiorix. Est Germ. *reich.*

Sapo

Sapo Gallica vox et Gallorum inventum teſte Plinio. Franco-Galli dicunt Savon.

Sedulius nomen principis Gallici apud Cæſ. lib. VII.

Seg Gallis victoriam notabat, facit ad compoſitionem nominum Segoveſus [*Siegreich*] Segomarus, illuſtris victoriis.

Soldur Gallis notabat hominem mercede & ſtipendio conductum, ut perpetuo, ſed honeſto titulo ſerviat, quales erant Soldurii apud Cæſ. lib. III. B. G. vid. Geſnerus in Mithridate p. 37. verſa; hinc Soludurum Helvetiorum juxta Geſnerum.

Sparum telum Gallicum ex veterum ſcriptis ſatis notum, unde & noſtrum *Sper*.

Taranis Deus ſummus, & quaſi Jupiter Gallorum, qui Germanis Tor dicebatur, à Tonitru, quod Galli Taran vel Torn vocabant. Hinc dies Jovis. In Britannia vocatur Thornſday.

Teſgetius nomen principis Carnutum apud Cæſ. lib. V,

Teutomarus nomen Regis Nitiobrigum apud Cæſ. lib. VII.

Vargi, latrones Arvernis dicebantur teſte Sidonio. Vid. Leibnitium p. 155.

Vedeliacus, nomen principis Gallici apud Cæſ. lib. VII. de B. G.

Vercingetorix notiſſimus princeps Gallicus.

Vergaſillaunus, nomen Gallicum apud Cæſar. lib. VII.

Vergobretus magiſtratus Æduorum primarii titulus apud Cæſarem lib. I. c. 16.

Vertiſcus nomen Gallici principis apud Cæſarem lib. VIII.

Veſus in terminatione nominum Belloveſus, Segoveſus &c. Gallis ſignificabat ſapientem: convehit cum noſtro *Weiſs.*

Virdumarus nomen principis Gallici apud Cæſarem lib. VII.

Viſumarus ſecundum Marcellum Empiricum erat Gallicum nomen trifolii: Procul dubio à claro aliquo viro, ſicut noſtri pyrethrum herbam *Bertram* nominant.

Vicus, Vic in terminatione nominum Lutavicus, Elvicus [*Helwig*] Gallis ſignificabat tutelam, receptum, *da man hinweichen kan.* Convenit Latinum vicus.

Votema, Gallis dicebantur grandia quævis teſte Servio: convenit noſtrum *voll.*

Plures vero Reliquiæ ex ea, quam Aremoricanam eruditi vocant, lingua, peti poſſunt, nimirum ex Vaſconica, de quo idiomate peculiaris liber *Pozæ* extat, nec non Britannica, quam & Cambricam vocant. Apparet ex his, magnam fuiſſe convenientiam Germanicæ & veteris Gallicæ linguæ, de qua vicinitate ex Aventino egit Geſnerus in Mithrid. p. 26. Hinc Cæſar & Strabo Germanos, Gallosque fratres vocat, & Hieronymus Galatas etiam Trevirorum lingua uſos fuiſſe affirmat.

THES.

THES. XIII.

PRogredimur ad Linguam *Britannicam* veterem, quæ cum Anglo-Saxonica Sec. V. orta, nequaquam confundi debet. Hæc Cambrica etiam dicebatur, aut Cambro Britannica: forte, quia Cimbrorum quædam progenies poſt primos, qui ex Gallia transfretarunt Britanniæ incolas in hanc inſulam migravit: hodie Wallica dicitur, quod à Gallorum nomine, qui Britannorum parentes fuerunt, ortum eſt. Vid. Geſnerus in Mithrid. p. 14. Hujus progenies vel ſoror eſt Bretonica lingva, quam Britanniæ minoris, quæ Galliæ pars eſt incolæ & olim uſurparunt, & magnam partem hodie adhuc uſurpant, nec non Aremoricana à veteri minoris Britanniæ apellatione. Sequitur Indiculus vocabulorum hujus lingvæ ſuperſtitum:

Aber, Portum ſignificabat, & ſupereſt in nomine urbis Aberden. vid. Reliquiæ Gallicæ.

Alan, vel *Alain*, Alanus, nomen multorum principum.

Aprana, tam Gallis quam Britannis ſimiam ſignificabat. vid. Reliquiæ Gallicæ.

Bellin, nomen Principis Britannici.

Cad, Britannis denotabat bellum, vid. Reliquiæ Gallicæ.

Caer vel *Car*, urbem inſignem vel metropolin

polin significabat. Supereſt in nominibus Caernarva, Caermarden, Carleon, Cardiff, Cardigan.

Conanus, nomen Regum Britannicorum ſatis frequens.

Dunum, urbem etiam apud Britannos ſignificabat, (*Den* pronunciarunt hodierni.) Hinc Camalodunum, Maridunum, Rigodunum, Cambodunum, Dunium.

Dru, arbor Britannis dicebatur, quo nomine Galli quercum ſpeciatim indicabant, quippe arborum in Septentrione facile principem. Hinc Druidas eſſe dictas, alio loco notavimus.

Dur, urbem ſignificabat Britannis, non minus ac Gallis, & ſupereſt in nominibus Durovernum, Durobrivis &c.

Kendered, nomen principum Britannicorum, ortum ex Gallico Cendaredus.

Kimber, quod Bretones ſcribunt.

Quimper, videtur Cimbrorum nomen eſſe, qui in Britanniam migrarunt: Supereſt in nominibus oppidorum Bretonicorum Quimper-Corentin, Quimperlay, &c.

Nef vel *Nefo*, Wallis & Bretonibus cœlum dicitur, quod cum Slavico Neb conſentit. Videntur enim ante Sec: i. à Chriſto nato Slavi quidam ex Borusſico littore in Britanniam navibus pervenisſe, unde Corn. Tacitus Britannorum & Prusſorum liugvas pro convenientibus habet. *Sego-*

Segomax, nomen Reguli Britannorum apud Cæsarem L. V. c. 22. ostendit radicem *Seg*, quæ Gallis victoriam notabat in Britanniam quoque receptam fuisse.

Tad, Britanni Patrem vocabant, quod itidem Slavicis lingvis proprius est. Vid. de ceteris Davisius in Dictionario Cambri-Britannico, & Eduardus Bernardus in peculiari Schediasmate de Convenientia Lingvæ Britannicæ cum Slavica. Sigillatim Collectanea rum Etymologic. Leibnitianorum Pars I. p. 82. seq.

THES. XIV.

PRogredimur ad Lingvam *Germanorum meridionalium*, & sub Hercynia sylva habitantium, qui Plinio & Tacito testibus, Hermiones vocabantur; ad quos Alemanni, Marcomanni, Quadi, Marsi, Usipetes, Cchamavi & Frisii pertinebant.

Sequitur collectio reliquiarum hujus linguæ.

Alen, A brevi Germanis universitatem vel communitatem notabat, unde est novum vocabulum *alle*. Hinc Alemanni vocabuntur Germani ex multis minoribus populis compositi. Vid. Goldastus & alii scriptores rerum German.

Arcen convenit cum Gallico *Arden*, notavitque sylvam, unde Harcyniæ vel Hercyniæ sylvæ nomen est. Hinc oritur recentius

centius vocabulum Hard, quod ſylvam opacam & denſam ſignificat, e. gr. in nomine Speſshard: Huc quoque pertinet nomen Hartz, ſylvæ notiſſimæ.

Arioviſtus, nomen Regis German. apud Cæſarem, plerorumque doctorum judicio idem eſt ac *Ehrenveſt*: unde colligitur, nomen Aren meridionalibus Populis Germanicis, idem fuiſſe ac noſtrum *Ehre*. Confer Aribert, *Ehrenwerth*.

Arp, Arpus, nomen principis Cattorum apud Tacitum, doctorum judicio idem eſt ac Aribo, quo nomine Germani ſæpius utebantur; ſignificabat vero opulentum, hæreditatibus potentem unde eſt noſtrum *Erb*.

Bar, Barritus, apud Tacitum cantum Germanorum militarem ſignificat. In Franconia & Svevia nomen illud vel hodie ſupereſt, ubi melodiæ Canticorum vocabantur *Baren*. Vid. Geſnerus in Mithrid. p. 35. & 36.

Bod, quod Franci pronunciarunt *Baud*, vocabulum inſigne, quod ſupereſt in hominibus Marbodus, Ratbodus; videtur ſignificaſſe illuſtrem vel eximium.

Brem etiam Germanis galeam ſignificabat. vid. Reliq. Gall. hinc *Brennus* mons Helveticus. vulgo dictus *der Brenner*, quem Ariſtoteles hinc Pyrenæum vocat, galeæ ſimilis.

Bruc, indicabat locum paluſtrem, & uliginoſum, *quem eodem plane ſenſu hodie ve-*

tores

tores eine Bruche vocant, unde Bructerorum nomen ortum est, & vocabulum Broeck, Batavis et Westphalis eodem sensu hodie receptum est: confer monumenta Paderbornensia.

Dun Germanis æque ac Gallis locum judicii notabat. Huc pertinent nomina urbium, Segedunum, Eburodunum, Carrodunum.

Ert, quod Tacitus scribit *Hertum* & Latine reddit terram, libro de moribus Germ. Cap. IV.

Fram, s. *Framea*, teste Tacito cap. 6. Germanis gladium majorem significabat.

Fan, Germanis significabat dominatum, principatum, unde est Tanfana Taciti, & nostrum fahne: vid. Tenzelius *in Monatl. Unterredungen.*

Ger vel *Gver* Germanis æque ac Gallis bellum notabat; hinc Romani Hermiones bellicosos quasi viros vocabant Germannos, corrupte Germanos. *Hinc Germ. Wehr, Gewehr, Gall. la guerre.*

Herman, Harmen, Ermen, Armin vel *Irmin*, nomen est Dei, qui fortitudini bellicæ præsidebat; unde exorta sunt nomina Arminii, Hermanni, Hermenegildis, Hermanarici, Irmentrudis, nec non appellatio Hermionum & Irmensulæ. Notetur convenientia hujus nominis cum Arimanio Persarum septentrionalium Deo. *Hild*,

Hild, vocula in compoſitis nominibus haud paucis ſuperſtes, v. g. in Hildegardis, Brunehildis &c. ſpectat huc etiam nomen Thusneldæ vel Thusnildæ Arminii conjugis. Idem eſt ac hodiernum Huld, vel Hold.

Mag, tam Gallis quam Germanis notiſſima vox, occurrit in compoſitis nominibus urbium Germanicarum, Borbetomagus, Neomagus.

Mal, occurrit in nominibus compoſitis, Malovendus, Malorix, aliisque, nec non in pervetuſto vocabulo *mallus*, quod locum publici conventus & imperii notabat.

Man, antiquiſſimis jam dum temporibus virum ſignificabat; hinc Germanus Sec. I. virum bellicum notabat. Huc pertinet nomen Alemannorum [*allerley Männer die ſich denen Römern wiederſetzet*] Marcomannorum.

Mar, princeps non minus apud Germanos quam Gallos receptiſſima vox; ſupereſt in nominibus principum, Marobodus, *i. e. Auguſtus agrorum amplificator. Vid. Onomaſt. Luthero-Wegenerianum p. 29. 206. 240. Bod. Boden eſt ager campus. V. Thes. 35.* Inguiomarus apud Tacitum Catomer apud Tacitum. Hinc videtur orta Alemannorum pronunciatio.

Mir pro Mar in nominibus Badomirus apud Amm. Marcell. aliosque, quam & Franci retinuerunt in nominibus Marcomir, Clodomir.

Mund

Mund Germanis Hermionibus idem erat ac clarus, manifestus &c. hinc mundiburdium in legibus pervetustis; nec non nomina Principum Segimundus, per victoriam illustris, Gundimundus apud Amm. Marcellinum.

Ren, quemlibet fluvium majorem notabat, unde est nomen Rheni, & nostrum *rinnen*.

Rix rectius *Ric*, Germanis pariter ac Gallis divitem designavit: hinc Malorix Frisorum Princeps apud Tacitum.

Seg unde nostrum *Sieg*, victoriam jam olim notavit. Supereſt in nominibus Segedunum, Segestis, & Segemund.

Sud jam olim meridiem significabat; hinc Sudeti montes, plerorumque eruditorum judicio idem sunt ac Sud-Oeden.

Trut, fidem significabat, supereſt in perantiquis nominibus; Gertrud, Adeltrud, Truto, Trutomann. *Pertinet huc Symbolum Equitum Leodienſium In Trau Vaſſ. i. e. in Fide conſtans. V. Hübneri Zeitungs Lex. voce, Ritter Huberti. p. m. 1515.*

Vald, unde est verbum *Gewalt* item *walten*, notat potentiam, regimen; Hinc est nomen Cariovald Batavorum Principis apud Tacit.

Veſt, quod alii arguto sono pronunciabant Viſt, jam olim significabat firmum. Hinc est nomen Arioviſti apud Tacitum. *Vide, quæ ad vocem trut notavimus.*

Von [per O longum] quod Romani scribebant *Bon*, notabat habitationem, unde est noſtrum *wohnen*: Hinc Iſtevones dicebantur *die gegen Weſten wohneten*, Friſiabones, qui in Friſia habitabant.

THES. XV.

Aſcendimus ad Germanos Septentrionales, & Trans-Hercynianos, qui Teutiſci, vel Theotiſci dicti ſunt, quorumque pars fuere Cimbri, Cheruſci & Suevi. Hi, accurate ſupputando, veri Majores noſtri ſunt, exciſaque & penetrata Hercynia Sylva, totam, qua hodie patet, Germaniam ſibi ſubjectam reddidere. Dolemus autem perpauca eorum veſtigia ſupereſſe, cumprimis, quæ ad primam ætatem pertineant. Ergo fragmenta, quæ colligere potui, breviter tradam.

Balt Cingulum militis, aliquando etiam thoracem, & quotlibet corporis tegumentum militare ſignificabat, & cum Romanorum Baltheo conſpirat. Hinc *Baltricus*, dicebatur, quaſi militaribus corporis tegumentis pollens; Imo & anguſtæ maris faſciæ, quæ freta dicuntur, majoribus noſtris vocati ſunt Balte: hinc Balticum mare.

Burg arcem notabat, ut Dunum urbem, quales in Germania Septentrionali plures erant, v. g. Teutoburgum, Laciburgum, eadem vox occurrit in nomine Burgundion.

Theus

Theut [*Thut*] vel *Theot*, *Thiat*, *Tiot*, *Dit*, diverſæ pronunciationis, vocabulum eſt perquam nobile, ſignatque gentem perilluſtrem magnam, & celebrem, unde nomen Teutonum & Theotiſcorum prodiit. Supereſt hoc vocabulum in nominibus Dietericus ſ. Theodoricus, Ditmar, Ditmarſi, multisque aliis.

THES. XVI.

VIcini Germanis meridionalibus ætate prima erant *Vindelici*, *Rhæti*, & *Norici*, hæ quidem gentes procul omni dubio Sicanicos & Celticos, partim Celticos natales habent, cognatique fuerunt Hermionum; ſed diu ante Chriſtum permixti ſunt cum Italis ex patria ſua egreſſis. Reliquiæ idiomatis horum populorum rariſſimæ ſuperſunt; Dabimus, quæ ad manus ſunt.

Dun notat urbem judiciis deſtinatam, hinc Campodunum, & Carrodunum Vindelicorum, Noviodunum Noricorum.

Durum, notavit urbem munitam, hinc Bojodurum Noricorum, & Serviodurum Vindelicorum.

Magus non minus his gentibus, quam Gallis & Germanis meridionalibus urbem potentem deſignabat: hinc Iuliomagus Vindelicorum, & Gæbromagus Noricorum.

Nor procul dubio Septentrionem ſignificavit, vox affinis noſtro *Nort*: hinc No-

rici dicebantur quasi Septentrionales respectu Italiæ & Pannoniæ.

Ræt, vel *Rait* notabat regionem montanam, unde hodienum *Rait* apud Helveticos & Grisones, *Reut* vero apud Nariscos indicat districtum montanum: hinc videtur Rhætorum nomen, quippe qui in montanis habitabant, exortum, & Germ. Ries *das Riesen Gebürge*.

Vinde notabat locum aquis abundantem & fluviorum confluxu fœcundum, quæ significatio etiam apud Gallos valuit: hinc est Vindomagus Gallorum, Vindonissa Helvetiorum, & Vindobona Noricorum urbs [jam Wien] Vindus Vindelicorum fluvius, ipsaque forsan Vindelicorum appellatio, quippe qui in flumentana Regione habitabant.

THES. XVII.

LOngius ad Orientem proficiscentes pervenimus ad *Illyricanos*, *Pannonios*, & *Dacos*, quos lingua eadem usos veterum monumenta docent, & ea quidem non admodum dispari à Germanorum meridionalium idiomate. In Illyrico enim esti quædam reliquiæ illorum Iapetigenarum, qui in Italiam descenderunt, remanserint, pleraque tamen omnia ad Plinii ætatem usque Celtica fuerunt, exceptis Coloniis Græcorum

maritimis. Pannonia universa, quæ ab Augusto & Tiberio devicta fuit usque ad Gothorum irruptionem Celtica fuit, nec minus Daciæ maxima pars, præterquam quòd Scythæ, sigillatim Sarmatæ, cum Dacis Septentrionalibus permixti fuerint. Hinc apparet, non prorsus approbanda esse, quæ illustris Velserus rerum Bojicarum L. III. & rerum Vindelicarum L. I. tradidit, nempe Noricos, Vindelicos & Rhætos Hetrusca lingua usus esse. Reliquiæ hujus idiomatis, valde infrequentes sunt. Dabimus autem quæ inveniri a festinantibus potuerunt.

Bato nomen Regis Pannonicorum apud Iustinum: videtur convenire cum Germanico vocabulo Bat, in Batildis, Batulfus.

Cotiata gramen Dacico sermone vocabatur, teste Dioscoride.

Dava in nominibus urbium Dacicarum frequentissima vox, videtur Scythicæ vel Slavicæ originis esse, & convenire cum terminatione urbium Slavicarum recentiorum.

Dau in Commodau & similibus. Hinc sunt Dacorum, Marcodava, Comitava, Petrodava, Sundava, & Netindava. Conferatur Gesnerus in Mithr. asserens, Dacum & Davum esse Synonyma.

Gentius nomen Regis Illyricani apud Livium.

Ill Regionem altam & montoſam Illyricanis videtur ſignificaſſe, non minus ac Germanis Hermionibus, Gallis & Celtiberis. Cum vero Illyricum totum montoſum fuerit, facile colligitur, inde appellationem ipſius Regionis exortam eſſe.

Teut, his gentilibus æque ac Celtis denotabat rem illuſtrem & magnam. Hinc eſt nomen Teutunæ Reginæ Illyricæ apud Florum L. II. c. 5. Hæc cauſa eſt, cur Hungari adhuc hodie urbes Illyrici, quæ Hungarica lingua non utuntur, ipſosque Slavonios Tott nominent, v. gr. Tottlipza, Tottbrona. Vid. Kirchmayeri Sen. Diſſ. de Lingv. Slavon. cap. I. §. 8.

THES. XVIII.

JUvat de *Celtiberis* eorumque lingua nonnihil adjicere. Hiſpania primum occupata eſt à Iapetigenis illis, qui per Thraciam, Illyricum, Noricum & Vindelicam, in Italiam, Galliam meridionalem & ipſam denique Hiſpaniam commigrarunt, quos optimi ſcriptores, atque ex iis Ludovicus Nonius, libro egregio de Hiſp. & Bernardinus Aldretius Lib. de Orig. Lingv. Hiſpan. Sicanos vocant. Poſtea ex Gallia, quam Celticam dicunt, Celtæ quidam in Hiſpaniam deſcenderunt, & Celtiberiam, Septentrionalem ejus partem, impoſito novo hoc nomine

mine occuparunt; lato deinceps propagato imperio linguam Celticam ſimul intulerunt. Sed præter hos tertia quædam natio per fretum Herculeum ex Africa in Hiſpaniam aſcendit, & Luſitaniam cumprimis atque Cantabriam & Gallæciam occupavit, uſaque eſt idiomate, quod cum Afrorum, ſigillatim Numidarum lingua, belle conſpiravit. Hujus gentis ſermo propagatus eſt deinde per magnam Aquitaniæ partem ipſamque Hiberniam Inſulam. Quo factum eſt: lingua Aquitanorum, Vaſconum, nec non Hybernorum Scotorumque Septentrionalium, cum Barbaro Hiſpanorum veterum idiomate conveniat. Conſulatur Bozæ liber de lingua Vaſconica. Nos hic miſſis ceteris, reliquias Celtibericæ linguæ ſaltem colligemus.

Baja portus major, vid. L. Moreniil Lexicon Hiſtor. in Bajone. Hinc hodiernum Baye.

Briga vel *Brica* in terminationibus urbium Celtibericarum ſæpiſſime occurit, v. gr. in Julio-Briga, Deobriga, Merobriga, Arabriga, Mirobriga, Langobriga, Talarabrica, Conimbrica, notavitque pontem vel tranſitum fluvii.

Ili vel *Ill*, pervetuſtum vocabulum Sicanicum, ſive Ante-Celticum, notabat Celtiberis altum aut montoſum, teſte Ambroſio Morali, apud Kirchmayerum de Lingua Sla-

vonica C. I. §. XII. Hinc Ilergetes & Ilergaones populi Hiſpanorum in montibus habitantes dicebantur. Nec non Illiberis, Ilerda, Ileſca; Ilipa, Ilipula, Iliturgis, Illuno, aliæque civitates Hiſpanicæ in montoſis poſitæ.

Seg tam Celtiberis, quam ceteris Celtis, victoriam denotabat, ſupereſt in nominibus urbium Segobriga, quæ caput Celtiberiæ fuit, Segeda, Segeſtica, Segovia, Seguntia, Segeſta, & aliis.

THES. XIX.

VIſa ætate prima ad *ſecandam Septentrionis ætatem*, quæ à Plinio ad Carolum M. usque extenditur, nos conferimus, rem quidem ſic partientes, ut primum dicturi ſimus de Germanis proprie dictis, deinceps de Gothis, porro de Scandicis gentibus. De Germanis proprie dictis principio acturi, cumprimis obſervamus, hac ipſa ætate, deleto prope Germanorum meridionalium nomine, Septentrionales, qui Theotiſci dicebantur, maximis migrationibus non ſolum in Hermionum, Vindelicorum & Noricorum ſedes, ſed in ipſam quoque Galliam, Italiam, Pannoniam & Hiſpaniam deſcendiſſe. Nam præter Alemannorum & linguæ Alemannicæ reliquias nihil adeo, quod alicujus momenti ſit, & ad gentes Germaniæ meridio-

meridionalis pertineat, apud ſcriptores ſecundæ ætatis invenitur.

THES. XX.

INter Germanos vero Septentrionales, ſeu Theotiſcos, (poſt Cattos & Cheruſcos primi) Thoringi ad Salam barbaram, exciſo Hercynio ſaltu ſylvaque Semana, notiores ſe reddiderunt. Horum Reges nomina habebant mere Theotiſca, v. gr. Hermenfridi. Vid. Sagittarius in rebus Thuringicis. Ipſi autem dicti videntur Thuringi velut Thoris, ſummi Theotiſcorum Dei propago aut populus, nam terminatio *ing* omnibus Theotiſcis derivationem & dependentiam item cognationem ſignificabat.

THES. XXI.

POſtea *Suevi* ſtrictius dicti notiores facti ſunt, gens Theotiſca omnium celeberrima, ſic, ut Plinio Germani Septentrionales ad Orientem poſiti omnes Suevi latiori nomine dicti ſint. Hi ſuo etiam tempore per fretum Balticum in Suediam penetrarunt, eique nomen dederunt antiquiſſimum *Suerig*, i. e. regni Suevorum. Prætèrea Suevi binis vicibus migrationes meridiem verſus inſtituerunt, priorem nempe Seculo I. II doquoe ad ripam Suevi, ut videtur, fluvii, quando ad Quados pervenerunt, & poſtea

in Pannoniam progressi, parti ejusdem Sueviæ ſ. Suaviæ nomen dederunt. Secunda migratio, proſtratis Thoringis, in Germaniam meridionalem ipſamque Galliam ſuſcepta eſt Seculo V. imo hinc Suevi tandem in Hiſpaniam pervenere, novumque ibi Regnum condiderunt, quod altero poſt Seculo à Gothis eſt deletum; Quidam vero Suevorum occupata Alemannia & Helvetiæ parte, nomini *der Schwaben und Schweitzer*, natales dederunt.

Nos ſequentes veterum Suevorum reliquias collegimus.

Hermen, vox etiam Suevis notiſſima, heroem ſignificabat, ſupereſt in nomine Regis Suevici, Hermanaricus.

Mund etiam Suevis illuſtrem liberum & clarum notabat. Supereſt in nomine Regis Suevici, Remismundus.

Olf, ſive *Ulf*, vel aſperiori pronunciatu *Hulf* auxilium notabat, ſupereſt in nomine Principis Suevici Adiulphus. *Affine* ὄλβος i. e. *Hulfe. Hinc multa Germ. nomina, E. g. Arnulfus, Gangolfus, Agilolfus aliis Egenolphus ſe ipſum juvans. Rex Longobardorum: Ulfarus. Ulfarius, Helfer, auxiliator: Vid. Lutheri Onomaſticon. Reg. I.*

Ric etiam Suevis notabat divitem opibus & viribus pollentem ſupereſt in nominibus Suevicis, Hermanaricus, Ebericus & aliis.

Theot,

Theot, *Theut*, *Dit*, etiam Suevis virtutem, gentemque virtutibus illustrem & magnam significabat. Supereſt in nomine Regis Suevici, Theotemarus S. Teutomarus.

THES. XXII.

INter Populos ſub generali Suevorum nomine comprehenſos excellebant *Burgundi*, intra Viadrum & Viſtulam fluvios olim poſiti, qui Seculo III in Germaniam meridionalem deſcenderunt, pulſisque Alemannis, prope Danubium conſederunt. Quarto Seculo ad Rhenum usque progreſſi ſunt, & Seculi Vti initio illustre Regnum Burgundicum in Galliis condiderunt. Hi procul omni dubio Theotiſca lingua uſi ſunt; Nos reliquias ſermonis ipſorum ſequentes collegimus.

Bald vel *Bold* notabat ſtrenuum & audacem, occurrit in nomine Gundebaldi Regis Burgundici.

Burg notabat arcem, quæ caput ſit multarum domuum, vel pagi integri. Non male Heuterus conjicit P. I. Rerum Burgundicarum ipſos Burgundos ab hac voce denominatos fuiſſe, velut Incolas Burgorum.

Giſil notabat ſocium & amicum quæ vox deinceps inflexa ſic eſt, ut ex ſingulari officio amici obſes *Ein Geiſel* diceretur. Supereſt in nomine Regis Burgundici Godogiſil.

God

God Deum notabat, ſicut noſtrum *Gott*: hinc Godogiſil, qui Dei amicus.

Gand, vel *Gun* ſine terminatione Suevica, notabat progeniem natalem. Supereſt in nominibus Principum Burgundicorum, Gundecus, Gundemarus, Gundibald &c.

Hild, etiam Burgundis gratiam & amoenitatem notabat, ſicut noſtrum *hold*. Supereſt in nominibus Clotildis, celeberrimæ ex Burgundica ſtirpe mulieris.

Hilp ſignificabat auxilium, ſicut noſtrum *Hülffe*. Supereſt in nomine Hilperici, Principis Burgundici.

Mar notabat illuſtrem, occurrit in nomine Gundemari.

Mund notabat notum, manifeſtum, occurrit in nomine Sigismundi Principis Burgundici.

Ric indicabat divitem, affluentem rerum copia. Supereſt in nominibus, Hilpericus & Sungaricus, Regum Burgundicorum.

Sig etiam Burgundis notabat victoriam, quod teſtatur nomen Sigismundi.

THES. XXIII.

INter Suevos generali nomine dictos excellebant quoque *Vandali*, qui IIItio IVtoque Seculo in Germaniam meridionalem, ac deinceps per Gallias in Hiſpaniam deſcenderunt, Regnum Vandalicum, quæ nunc Anda-

Andalusia dicitur itemque superato freto Herculeo, aliud in Africa imperium celeberrimum condiderunt. Hic cumprimis cavendum est, ne Vandalos, qui Theotisci erant, cum Vendis, qui Slavicæ prosapiæ sunt, confundamus: Supersunt sequentes Vandalici idiomatis micæ:

Gisil notabat amicum & socium, in Godogisil, Modogisil, & aliis.

God Deum notabat in dicto nomine Regis Vandalici Godogisil, & aliis.

Gund etiam Vandalis natales significabat. Hinc Gundericus Vandalorum Rex, quasi diviti loco natus dicebatur.

Hild procul dubio Vandalis notabat amorem, gratiam, quam recentiores Germani dixerunt *Huld*. Supereſt in nomine Hilderici, celeberrimi Vandalorum Regis.

Han videtur idem esse cum nostrid Haym, & sylvam significare: occurrit in nomine Hunerici Regis Vandalici, quod æquipollet notissimo nomine Henrici.

Mar vel *Mer* etiam Vandalis notabat illustre quid: Supereſt in nominibus Visimari, ex primis Vandalorum Regibus, Gilimeri, ultimi Vandalorum Regis, quem Iustinianus per Belisarium devicit, Hoamari ducis bellici, &c.

Ric Vandalis etiam notabat divitem pollentem opibus, viribus, amicis: Supereſt in nomini-

nominibus Gunderici, Genſerici, Hilderici, Hunerici, Regum Vandalicorum.

Vis convenit cum noſtro *Weiſs* ſapiens & obſervatur in nomine Viſomari, jam ſupra explicato.

THES. XXIV.

Heruli & *Rugii* gentes Germanicæ maxime Septentrionales, merito conjungentur tanquam affines vicinæque; Harum lingua procul dubio fuit Theotiſca, cujus vix ullæ reliquiæ ſuperſunt, præter nomen Odoacri, Regis & gentium domitoris, quem præſtantiſſimi auctores dictum volunt quaſi *Hutwacker*, auxilio expectato ferendo promptum. Vox *Ott* ſive *Hatt* notat expectationem, ſpem, deſiderium ſperatæ rei, & ſupereſt in vocabulis Hatto vel Otto, Hatwigis vel Hedwig (*Ein gewünſchter Ort, dahin man ſich retiriren kan*) ab Hat & wig.

THES. XXV.

Longobardi, gens Theotiſca, Sec. VI. in Pannoniam, indeque in Italiam commigrarunt, Regno florentiſſimo ibi inſtituto. Literas Longobardorum ex vetuſto Codice nobis tradidit Bonaventura Vulcanius in libello de literis & lingua Getarum p. 20. *ſeq.* quæ ex latinis corruptæ ſunt, nec multum adeo

adeo cum Runis Septentrionalibus conveniunt. Reliquias idiomatis Longobardici ſequentes ſuppeditare poſſumus:

Adel Longobardis nobilitatem notavit; occurrit in nominibus *Adelwaldi*, Regis, *Adelgiſæ*, *Adelberti*, vel *Alberti*, *Edelwerth*.

Ald ſervum ſignificabat. Hinc *Aldius* vel *Aldia* pro ſervo aut ancilla, ſæpius occurrunt in legibus Longobardicis à Goldaſto editis, Tom. II. L. 1. Tit. 8. Inde deſcendunt nomina *Thetaldi*, *Farcaldi*, *Grimoaldi*, *Romualdi*.

Aſt quod etiam ſcribebatur *aiſt*, item *haſt*, notabat animi promptitudinem itemque impetum & celeritatem, unde eſt noſtrum *haſt*, *haſtig*. Hinc in L. L. Longobardorum L. 1. Tit. 20. *aſto* animo facere, eſt *frevelhaffi thun*. Nomen *Aiſtulphi*, Regis Lombardorum huc quoque ſpectat.

Bandum vexillum notabat, idque oblongum, inſtar tæniæ aut faſciæ, teſte Paulo Diacono, L. 1. c. 20. Hinc Bandereſii apud Italos vexilliferi dicuntur.

Bert convenit cum noſtro *Werth*. Occurrit in plurimis nominibus Longobardicis, v. gr. *Ariberti*, *Cuniberti*, & *Gundiberti* Regum nec non *Adelberti*, *Lamberti*, *jam Alberti*, & *Luitperti*.

Brand videtur Longobardis ſignificaſſe fortem & armis egregie inſtructum: Supereſt

est in nominibus *Luitbrandi* Regis, *Hildebrandi* & Asbrandi, *annehmlich, und Göttlich bewaffnet.*

Casa domum notabat non vilem, sed aspectu dignam; *Cassina* autem domunculam. Vid. Leg. Longobard. L. 1. Tit. 4. & 10.

Fayda idem est ac nostrum *Fehde.* Notabat enim litem vi & armis finiendam. Vid. L. L. Longob. L. 1. Tit. 17.

Feld campum notabat. Vid. Paulus Diaconus de rebus Longobard. C. 21.

Feod, postea *Feudum,* h. e. prædium militi à principe concessum fidei præstitæ causa. Vid. Scriptores rerum Feudalium (*Old* apud veteres rem propriam; *Fe* fidem notabat) hinc *Feodd.*

Fodrum Longobardis dicebantur præstationes à Rege imperatæ forsan à verbo *fodern,* alii respiciunt ad vocem *Futter.*

Gild pecuniam notabat. Hinc in L. L. Longobardorum L. 1. Tit. 2. atque alibi *Widrigiltum* idem est ac *Wiedergelt,* vel pecunia restitutionis causa solvenda.

Hild etiam Longobardis gratiam amoenitatemque significabat. Hinc sunt nomina *Hildebrandi, Hildegardæ, Hilduini.*

Hosa Longobardis caliga dicebatur. Vid. Paul. Diaconus rerum Lombard. L. 3. c. 13.

Hulph vel *Holph* auxilium denotabat: exstat in quam plurimis nominibus Longobardicis,

dicis, v. gr. *Aiſtülphi*, *Ariulphi*, *Agiulphi*, *Giſulphi*, *Siconulphi*, *Baudolfi*, *Laudolfi*. [Hinc etiam Rudolphus, *der den neuen Anbauern hilfft*, *der leere Plätze ausrödet*.

Luit, nobis *Leut*, i. e. homines: Hinc ſunt nomina *Luitprandi*, *Luitperdi*, atque alia.

Mallum notabat locum judicii Regii, Vid. inter alia L. L. Longobard. L. II. Tit. 14.

Lama piſcinam ſignificabat, teſte P. Diacono C. I. Lib. I. cap. 15.

Marbais denotabat ſtratorem *einen Sattel Knecht*, à voce Mar, quæ Equum ſignificabat, Vid. P. Diaconus L. 2. C. 9.

Morgingaba nihil aliud eſt, quam noſtrum *Morgengabe*, ap. Paulum Diac. & in L. L. Longob. Lib. I. Tit. 4.

Mundium Longobardis ſignificabat tutelam, Vid. L. L. Longob. Lib. I. Tit. 17. & alibi. Sic nos dicimus *Vormund*, *Mündel*.

Rach, item *Racht*, ſignificabat contentionem in judicio, & opponebatur *Faydæ*: Unde in Longob. L. L. Sæpius legitur in *Aracho*, h. e. *im Rechten*, & qui auxilium in judicio ferunt, præſertim Vades, vocantur, *Rachinburgii*. Atque hinc eſt noſtrum *Rachten und rechten*, quod per æ ſcribendum eſſet, ſi origines vocis ſequi volumus.

Scalc etiam Longobardis ſervum notabat; hinc eſt nomen *Geodiſcalc*.

Sculdâis, vel *Scultheis*, recentioribus

Schultheiſs, Prætor erat, qui poteſtatem jubendi obtinebat adverſus delinquentes: Sæpe legitur in L. L. Longobarticis.

Scala, teſte Paulo Diacono L. I. c. 13. poculum ſignificabat, rectius pateram. Hinc eſt noſtrum *Schale.*

Spata vocabatur Enſis latior. Vid. Paul. Diac. Lib. I. cap. 13. Hinc eſt noſtrum *Spaten, ſ. Grabſcheid.* Gall. Spatule, Eſpadille &c.

Theod etiam Longobardis nationem magnam & celeberrimam deſignabat: hinc eſt nomen Theodelindæ, aliaque plura.

Thing judicium notabat. Vid. L. L. Longob. L. 2. Tit. 2. Hinc Diengſtag hodie Dinſtag eſt dies judicii.

Vald poteſtatem ſignificabat. Hinc ſunt nomina *Adelvaldi*, & *Ariovaldi*, Regum.

Vaſſus, & *Vaſallus* notabant hominem alterius dominio ſubjectum & quæ applicata poſthæc ſigillatim ſunt ad leges feudales.

THES. XXVI.

PRogredimur ad *Francos*, Gothis ceterisque à Germanico nomine remotioribus populis ad Finem hujus periodi ſemotis, Et Franci quidem veras illorum origines ſcrutanti nihil aliud fuiſſe deprehenduntur quam ſyſtema populorum Germanicorum occidentalium, tam Ingævonum quam Iſtævonum, ut Pliniano ſtylo utamur, hoc eſt, tam

tam ſeptentrionalium, quam meridionalium, cis-vel trans Hercyniam ſitorum, quotquot videlicet Oceano Germanico propiores erant, præſertim Teutiſcorum. Hi populi tertio quartoque Seculo tuendæ libertatis cauſa illuſtre fœdus pepegerunt, quod à Theotiſco libertatis vocabulo *Franc* Francicum dictum eſt occupataque Germania meridionali prope univerſa & Gallia Belgica, nomen linguamque ſuam latiſſime propagarunt, maxime cum ſub Carolo M. Europæ imperium obtinerent.

THES. XXVII.

ETſi vero totum Francicæ linguæ apparatum explicare hic non poſſimus, quia pleraque ad tertiam Periodum pertinent; initium tamen hujus rei lubenter nunc faciemus. Ergo ad colligendas Francicæ linguæ reliquias præter nomina Regum, virorumque & fœminarum illuſtrium Francici ortus ſpectat præſertim fragmentum Homiliæ de hiſtoria Chriſti ab Iſidoro Hiſpalenſi conſervatum, ſeptimoque Seculo ſcriptum, una cum Gloſſariolo, quod idem Iſidorus poſteris tradidit: vid. Opp. Iſidori. Nec non Fragmentum idem, prout Palthenius Harmoniæ Evangelicæ Theotiſcæ illud adjecit. Sequitur formula abrenuntiationis Satanæ, Sec. VIII. ineunte in Synodo Liftinenſi

præscripta, quam Eccardus in monumentis Catecheseos Theodiscæ edidit. Insuper nomina mensium & ventorum, aliaque à Carolo M. constituta, quæ in ejusdem vita Eginhardo scriptore leguntur. Denique Evangelia Ottfridi à Flacio & Dietericò Stadenio vulgata, nec non Harmonia Evangelistarum Tatiani theotisce vel francice scripta, & à Palthenio edita. Hæc enim Carolinam ætatem omnino sapiunt; à qua nec alienum est fragmentum Francicum, colloquium Christi cum Samaritana, quod Lambecius L. II. de Bibliotheca Vindobonensi p. 383. publicavit.

THES. XXVIII.

ERuditissimi quidam Galli, atque inter alios Ludovicus Morerius, ex Dominico Bouhorsio Jesuita, Lexici historici p. III. p. 307. fatentur, Francicos Reges ante Carolum M. in media Gallia cum aulicis ministris theotisca lingua usos fuisse. Juvat sequentes tres observationes adjicere. I.] Francos ante Carolum M. & ætate Carolina imitatos esse flexionem nominum & verborum Latinorum, cujus rei causa Monachis adscribenda videtur, desiit autem sequentibus seculis. II.] Francos nimium quantum amasse literam *H*, eamque asperius pronunciatam; unde duplex *H.* idem prope ipsis valuit, ac

Saxonum

Saxonum *K*, ſimplex vero *H* multis nominibus v. gr. Ludovici Lotarii præfixum eſt, pro quibus Monachi ſcribebant *CH*, Chlodoveus Chlotarius. III.] Francorum ſermonem eo tempore habuiſſe particulas valde prolixas, v. gr. *Bithiuuanta* pro quia. Denique Orthographia Francica mire differebat, ut ſingula pene monumenta, quæ ſuperſunt, novam nobis aliamque offerant vocum ſcriptionem.

THES. XXIX.

SEquuntur *Saxones* noſtri, quorum nomen tertio jam Seculo inclaruit, quique ſequentibus temporibus ex Nord-Albingica Saxonia progreſſi non ſolum Veſtphaliam Veteranam & ſuperiorem, quæ dicitur, Saxoniam occuparunt, ſed crebris etiam navigationibus Angliam littusque Saxonicum in Flandria, Picardia, & Normandia, acquiſiverunt. Horum lingua, quantum ex nominibus atque monumentis patet, tota fuit theotiſca, ſed adſtrictioris paulo & magis argutæ pronunciationis. ſuperſunt autem ſequentia ſecundæ Periodi monumenta Saxonica. Primum ex Seculo VII extat Cadmonis, Monachi Anglo-Britanni Paraphraſis poëtica Geneſeos, deinceps Archæonomia, ſ. leges Saxonum, eodem, quod videtur, ſeculo ſcriptæ. Cetera enim Carolo M. recen-

tiora sunt: Nisi quod idoneis ex argumentis credamus, quatuor Evangelistarum Saxonicam translationem à Foxio & Junio editam, vel paulo ante, vel ipsa Caroli M. ætate confectam esse. Ceterum Saxonicas etiam hujus ævi voces ad sequentem eamque generalem collectionem remitto.

THES. XXX.

REstat, ut de *Gothis* etiam eorumque literatura nonnihil dicatur Getarum sane nomen prima jam dum ætate satis notum fuit, quos doctissimi homines à Gothis studiose discriminant; quæ observatio non omnino est negligenda, neque tamen nimis extendenda. Nam Getæ [quod monumenta historiæ frequentissime docent] Celtarum fratres cognatique & lingua & moribus cum iisdem mire conveniebant, quod inter alios Ovidius in lib. Tristium & de Ponto docuit, qui apud Getas in exilio commoratus eorum sermonem cum Germanico comparavit. Videntur itaque à Iapeti filio quodam non minus ac Celtæ progeniti, semperque vicini Celtarum fuere. Habitarunt ad Tanaim fluvium Pontumque Euxinum, atque inde extensi ad Tibiscum usque adeo ut Daci pro Getica natione sint habendi. Videntur autem non diu ante Christum natum quidam Getarum versus Septentrionem

nem aſcendiſſe qui ad Viſtulam habitarunt; Hos Hercyniæ ſylvæ appendix poſtmodum à Getis ſic ſeparavit, ut peculiaris populus haberentur, & Gothones plerumque dicerentur. Declinante autem Seculo II poſt Chriſt. nat. Gothonum vel Gothorum natio inſigniter aucta, verſus meridiem deſcendit penetrata ut videtur, ſylva Hercynia, eo loco, ubi Viſtula eandem ſcindit; junctique ſic Gothi Baſtarnis, Peucinis aliisque Celtis, in Daciam ingreſſi ſunt, eamque & vicinas Regiones ad Danubium usque occuparunt. Hic in Oſtro-Gothos & Viſi-Gothos ſive Orientales & Occidentales diviſi ad Seculum uſque IV habitarunt, & deinceps Danubio ſuperato, Pannoniam, Italiam, Galliæ partem, & Hiſpaniam occuparunt. Seculo IV. adulto Ulphilas Gothorum Eqiſcopus, literas popularibus ſuis dedit, quas ipſe ex Græcis & Romanis confecerat: [vid. Alphab. ſuperius traditum] idemque magnam S. Scripturæ partem in Gothicum ſermonem tranſtulit, ex quo ejus labore IV Evangelia ſuperſunt, vetuſtiſſimum Septentrionis literati monumentum. Sequentibus Seculis cum Gothones, qui ad Viſtulam remanſerant, navigatione inclareſcerent, & Gotlandiam inſulam occuparent, paulatimque potentiores fierent, videntur navibus in Suediam ingreſſi, magnamque ejus partem occupaſſe,

quæ vel hodie Oſtrogothia & Weſt-Gothia vocatur. Hic & regnum peculiare habuerunt quod à Suecis tandem fuit deſtructum. Ceterum vocabula Gothica ætatis II. Lexico, quod ſub ætate III proponetur, reſervamus.

THES. XXXI.

QVod denique attinet ad linguas *Scandicas* certum eſt, Scandiam primum à Japetigenis, ſigillatim à Cimbris nec non ceteris Theotiſcis vel Suevis occupatam fuiſſe, quod tertio vel quarto Seculo ante Chriſtum natum eveniſſe videtur; Et hi mores linguamque reliquorum Theotiſcorum retinuere: Unde factum eſt, ut antiquiſſima quælibet monumenta Scandica Runicis ſcripta literis à Saxonum & Longobardorum reliquiis non multum differant. Ipſum quoque nomen Suedorum procul dubio eſt à Suevis, Runicæ autem literæ, quæ ſupra propoſitæ ſunt, numero ſedecim, videntur eſſe vetuſtiſſima Germanorum Septentrionalium ſigna grammatica. Ipſo autem Chriſti naſcentis ſeculo Gothi ad ſinum Codanum habitantes, ubi nunc Gedanum eſt, trajecto mari, primum Gothlandiam inſulam, deinceps magnam Suediæ partem occuparunt; inter quos celeberrimum nomen fuit Othini, qui univerſum Septentrionem nominis ſui fama implevit.

Proba-

Probatiſſimi Scriptores rerum Septentrionalium hiſtoriam Scandicam dividunt in *Bruna-old*, ſive ætatem qua demortuorum corpora combuſta ſunt nempe ad Othinum usque & *Hauga-old* qua demortui ſepeliri cœperunt, quod poſt Othinum factum eſt. Et ex prima quidem iſta ætate nihil monumentorum ullibi ſupereſt; quæ autem ad ſecundam ætatem pertinent, & Carolo M. antiquiora ſunt, perpauca inveniuntur, videlicet Diſticha de literis Runicis, quæ Franciſcus Iunius cum Evangeliis edidit, nec non Inſcriptiones quædam Runicæ inter eas, quas Olaus Verelius ad finem hiſtoriæ Gothrici, & Peringskiœldius in Commentario ad Hiſt. Theodorici Veronenſis edi derunt. Edda enim, antiquiſſimus, qui extat Scandicus liber, Seculo demum XI ſcribi cœpit. Sed quæ huc pertinent, una cum reliquiis Periodi tertiæ, ſuo loco tradentur.

THES. XXXII.

PEriodus 3tia Literaturæ Septentrionalis â Carolo M. ad auream usque Bullam vel ætatem Caroli IV. extenditur, atque hic IX vel linguas vel Dialectos Septentrionis deprehendimus, nempe:

1) *Helveticam*, quæ & Alſatica fuit, atque in nonullis Diplomatibus, Chronicisque

ſupereſt, cujus hoc inter alia proprium eſt, quod litera R. ante aliam Conſonantem mutetur in L. v. gr. *Kilch* pro Kirch.

2) *Suevicam recentiorem*, quæ cum Helvetica in plerisque convenit.

3) *Francorum orientalium* Dialectum, quæ in Winsbekii Paræneſi, & Notkeri glosſis extat.

4) *Saxonicam ſuperiorem*, à quo eſt idioma hodiernum, quod *hochteutſch* dicitur. In hac Dialecto litera Z frequenter ponebatur pro S. v. gr. *daz* pro *das*, nec non i. pro e. v. gr. habin pro *haben*, quæ ratio ſcribendi in Diplomatibus frequentiſſima eſt.

5) *Saxonicam inferiorem.*

6) *Friſicam* & *Belgicam.*

7) *Danicam*, cujus Dialectus eſt Norwegica.

8) *Suedicam* & 9) *Islandicam.*

THES. XXXIII.

TErtia hac ætate non ſolum apud Francos, Gallos, Hiſpanos, & Italos uſus veterum linguarum Francicæ, Celtibericæ, & Longobardicæ deſiit, ſuccedentibus in earundem locum filiabus linguæ Latinæ ruſticanæ nempe Franco-Gallica, Hiſpanica & Italica; verum etiam Anglo-Saxones Normannorum adventu Saxonicam ſuam linguam, intermixtis innumeris Gallorum vocabulis,

bulis, ſic alterarunt, ut inde Anglica Scoticaque lingua hodierna prodierit.

THES. XXXIV.

Juvat, ut eo rectius omnia intelligantur & ſuccedant ſequentia etiam annotaſſe.

1) *Helvetiorum & Alſatiorum* ſermo originem trahit ab Alemannis, qui Helvetiæ partem Orientalem, Alſatiamque occuparunt, atque primum â ſermone Francorum, magis vero â Saxonico notabiliter diſcrepavit; Poſtmodum autem Suevorum vicinitate & amicitia factum eſt, ut magis magisque ad reliquorum Germanorum linguam accederet, â qua tamen ante paucos etiam annos ſatis adhuc diſcedebat, & Diphtongis horridioribus delectabatur v. g. *uo in huoch* pro *hoch*. Vid. inter alia Ruodberti Abbatis. S. Galli Gloſſarium aliaque hujus generis ſcripta in Goldaſti ſcriptoribus Alemannicis.

2) *Dialectus Suevica* originem debet veteribus Suevis, ſed non nihil traxit ab Alemannorum vicinitate. Domeſticum autem Suevis fuit mollius pronunciare prope omnia, & literam L. & N. ſæpius intermiſcere lit. F. Tũ B ordinario apponere v. gr. *in Pfund, Pfahl Pful*, &c.

3) *Dialectus Francica Orientalis* retinuit radices & vim linguæ Francicæ veteris mediamque

unque inter Saxonicam asperitatem & Suevicam mollitiem viam sequitur; sed cum â Suevis Franci Orientales Poësin Germanicam acceperint, multum â veteri ingenio Francico discesserunt, & Suevos imitati sunt.

4) *Dialectus Saxonica Superior* primum cum Saxonum inferiorum idiomate prorsus conspiravit. Postmodum cum Francorum Familiæ illustres plurimæ ad nos commigrarent, ipsaque vicinia occasionem mutationis ampliſſimam exhiberet, factum est, ut Francica Dialectus, quæ cum Suevica jam permixta erat, ad Saxones nostros non tota quidem commigraret, sed tamen dominatum aliquem inter nostrates obtineret, indeque prodiit lingua, quam nunc *Hochteusch* vocamus.

5) *Dialectus Saxonica inferior* nonnihil quidem mutationis passa est â Francis, rerum olim Dominis, retinuit tamen satis manifeste veterem indolem Saxonici sermonis, ideoque asperior partim, partim adstrictior est, & â Diphtongis cumprimis abhorret.

6) *Frisiorum & Belgarum lingua* composita est ex veterum Istævonum & Francorum linguis. Illius origines investigarunt Goropius Becanus in Becceselenis & Adrianus Schrikius in orig. Celticis & Belgicis, quorum uterque suos patitur manes; Rectius autem rem gessit Cornelius Kilianus in Dictionario Teutonico. Conferantur cumprimis leges Frisio-

Frisiorum veteres à Sibrando Siccama 1617. editæ, nec non Io. à Beka Chronicon aliaque id genus: Et notetur Frisios sæpe abbreviationum cupidissimos fuisse; hinc oriuntur tot singularia Frisiorum nomina, quæ Germanica vix ulli esse videntur v. g. Ubbo, Emmo, Hajo, Haro, Taco, quæ orta sunt ex nominibus Ubbrandt, Emmen, hard, Hajolph, Harmann, & Tanchert.

7) *Danorum lingua* propago Saxonicæ est, genuitque ex se Norwegicam, hodiernam. Vid. Olai Wormii liber de literatura Danica & Christiani Ostersenii Glossarium Danico-Norwegicum.

8) *Suedica lingua* à Suevis originem trahit, intermixta autem sunt multa Scandica, quædam Saxonica & plurima Gothica. Vid. Diplomata Suevica ab Itadorfio edita, & Verelii Lexicon Scandicum.

9) *Islandica lingua*, quam septentrionales Heroum sermonem vocant, exorta est a primis Scandinaviæ incolis, quorum sermo post Othinum cum Gothica lingua permixtus fuit. Cum vero Scandinavii generosissimi, dominatus Regum suorum impatientes, in Islandiam commigrarent, lingua hæc in eandem quoque Insulam tota transiit, ex qua Septentrionis monumenta tantum non omnia prodierunt, & illustrari debent. Iuvat igitur sequentia monumenta

Islandica

Islandica, quæ & Runica dicuntur atque ad tertiam Periodum pertinent, commemorare; Inſcriptiones Runicæ à Vrelio & Peringskiœldio collectæ, de quibus ſupra; accedunt Ioh. Itadorffii Rune Sterner, & nummi Runicis literis ſignati. Vid. Nic. Kederi Tract. de argento in Runis, & de nummis Runicis.

Fragmenta legum Runice ſcriptarum edita à Jona Rugmanno, 1667. Libri Runici ſcripti ordine alphabetico ſequenti;

Alexander Mikla-Saga, h. e. Hiſtoria Alexandri M. edita ab Itadorfio, 1672.

Edda, edita à Reſenio, A. 1665.

Gotrika Ralphs-Saga, edita à Verelio 1664.

Iterrand-Saga, edita à Verelio 1672.

Konunga-Sagur, i. e. Hiſtoria Regum Septentr. edita à Rugumanno 1670.

Olaf-Saga, Trykwar ſonar, edita à Vereljo 1664.

Olafs-Saga Helga, edita ab Itadorfio, 1675.

Servies Regum Daniæ, edita ab Olao Wormio.

Skorronis Sturleſon Chronicon, editum à Reſenio.

Ejusdem Hiſtoria Septentrionalis, edita à Peringskiœldio, 1698.

Sturlangs-Saga, edit. à Gutmundo Olai, 1694.

Torſteins-Saga, Wikkings Sonar, edit. à Jac. Rhenfield, 1680.

Troje-

Trojemanna-Saga, edita, ni fallor, à Verelio.

THES. XXXV.

GLoſſarium generale Linguarum Septentrionalium, præſertim Theotiſcæ, Gothicæ, Saxonicæ & Scandicæ.

Aa, Saxonibus aliisque Theotiſcis, ſigillatim Alemannis, Aquam notabat. Anglo-Saxones dicebant *Ea*, hinc nomen habent tres fluvii in Weſtphalia, unus in Friſia, unus in Trans-Iſalana, unus in Brabantia & duo in Helvetia. Celtæ pro *Aa* dicebant *Alva*, unde & Latinum aqua videtur ejusdem cum Celtica iſta voce originis. Hinc & vetus dictio Germanica *Aalend* ſive Inſula quaſi *Aaland*, aquatica regio, apud Lipſium in Collectione verborum veterum Germanicorum, Cent. III. Ep. 44. apud Wilhelm. Somnerum pag. I. Cui vicinum eſt Saxonicum *Ealand*; Anglo-Saxones dicebant *Ealond*, noſtri hodie *Eyland*: hinc etiam deſcendit antiquum *Aaw* ſive *Awe* hodie *au* vel *aue* h. e. aquaticum, regio aquoſa. Alemanni & Suevi dicebant *Auge*. Hinc eſt vocabulum *Augia*, & Franco-Gallcio uſu *Algia*, quod in diplomatibus Latinis frequens eſt: Sic Augia dives dicitur *die Reichenau*. Anglo-Saxones dicebant *ou*, Franco-Galli *Au*, & *Eau*. Vid. Huetius in

Origi-

Originibus Cadomensibus p. 436. Consulatur egregium Specimen Io. Leonh. Frischii P. I. Miscell. Berolinens. de voce Aa.

Aar it. *aarn, arn,* avem notabat Theotiscis praesertim Saxonibus, postea ad aquilam avium principem hoc nomen applicatum est, ex quo Saxones recentiores fecerunt *Arend*; Non abludit à Graeca voce ὄρνις.

Ab, quod Gothi, Scandi aliique pronunciabant *Af*, [Vid. Glossar. Goth. Franc. Iunii p. 34. seq.] convenit cum Graeco & Latino *Ab*. Sic Francis *Ableibe* erat mori *ableiben* Vid. Baltherius ad Tatianum, p. 113. *Abunst*, amoris & gratiae privatio.

Aber portus Gallis veteribus & Britannis: vox Celtica in *Aberdeen* & aliis.

Aban maritum significabat Gothis, vid. Iun. in Gloss. Goth. p. 333.

Abur Francis notabat *iterum*, nec non particulam adversativam *sed*. Hinc est nostrum *aber abermahl*. vid. Balth. ad Tatianum p. 397. Gentes vicinae interposito T scripserunt *abtar, aftier*, sicut Anglo-Saxones *Aftar*, et & Scandinavii.

Accar hodie *Acker*, vox Francica, vid. Balth. ad Tat. p. 387. convenit cum Lat. & Graec. *ager*, ἀγρός. Gothis *Akers* dicebatur ager, & Anglo-Saxonibus *æcer*, Scandis *akur* Normanni hodie retinent vocem acre. Vid. Iun. Gloss. Goth. p. 48.

Ach

Ach, antiqua vox Iapetica; dolores & ſuſpiria indicans. Anglo-Saxonibus acse erat dolere: Hinc eſt noſtrum *ach æchzen*, Convenit cum Lat. *ah* & Græco ἄχος. Vid. Meric. Caſaub. de 4. Ling. 246.

Acran Gothis erat proventus agri, unde Junius derivat vocab. *Wuckern*, *Wucher*.

Acus, vel *Acs*, inſtrumentum acutum ſcindendo aptum quodlibet notabat, vid. Palth. ad Tat. 330. Hinc eſt Anglo-Saxonum *acs* ſecuris, Germ. *Axt*, Scandicum *æeſen*: convenit cum Græco ἀξύνη, cumque Latino *acus*, *acuere*, *acutus*; addatur Franco-Gallicum *aigu*, acutus.

Acet, in omnibus prope linguis Europæis, acetum, ſeu ſuccum acidum notat. Sic in Evangeliis Gothicis legitur *akeit*: Anglo-Saxones dicebant *æced*, Belgæ *edik* & Germani noſtri olim *Ezzich*, nunc *Eſſig*.

Adel, originitus Celtis notabat egregiam indolem vel genium, ita hodie apud Suedos *ædel* dicitur ingenium; Poſtea nobilitatem ſtirpis Theotiſcis aliisque Germanis notabat: Hinc ſunt nomina vetuſta *Adelbald* [*Adelwald*] *Adelgundis* & Anglo-Saxonica *Adel-Wolff*. *Edel-Ledus*. Hinc & theotiſca vocabula *Adhal* ap. Palthen. in Not. ad Tat. p. 403. & Junium in notis ad Villeramum, p. 408. itemque vox *Adhil* ſ. *Edhil* apud eundem Palth. p. 412. Hinc quoque nomen

adelaar, ſ. aquila h. e. nobiliſſima avis ortum eſt.

Ael, *Aelia*, ſyllaba producta, coctum liquorem ſignificabat Celtis & Theotiſcis, qualis cereviſia eſt, quam Angli, Sueci, Dani, hodienum *Ael Oehl* nominant.

Ael vel *Ell* Syllaba adſtricta plerisque Populis Celticis finem hominis & fata poſt mortem deſignabat; unde apud Germanos noſtros vocabulum *Hölle* infernum, & apud Scandos præſertim Suedos *Hel* mors eſt.

Aern it. *Ern* Gothis ſignificabat legatum vid. Jun. Gloſſ. Goth. p. 45. unde Scandis, præſertim Suedis *arn* eſt nuncius nobilis, Islandis Ernde idem eſt. Apud Francos *airen* notabat quemlibet Miniſtrum nobilem nec non vox *Eren*, unde & vetus Germanicum *Ehrn*, quod paulo inferius eſt titulo *Herr*. Vid. Palth. ad Tat. p. 411. qui & hinc derivat vocem *Ehrenhold*.

Afal, Celtica vox, pomum notabat, hinc *Apffel*.

Ag vel *Aga a* brevi, Septentrionalibus populis notabat ducere, unde Scandis *Agiætur* titulus erat ducum & ſummorum virorum. Convenit cum Græco ἄγω, unde & ἀγητὴρ ſ. Dux ſupremus. Turcis *Aga* dux legionis eſt.

Ag, *Aga*, *a* longo Gothis ſignificabat vexationem, & calamitatem vid. Jun. in Gloſſ. Goth. 34. Anglo-Saxonibus *Aeglan* erat moleſtum

moleſtum eſſe, *ægan* dolere, *Aglo* Gothis ſignificabat difficile, quod Junius comparat cum Græco ἀηγένεσθαι, lædi.

Agu Gothis ætatem notabat, quod convenit cum Anglo-Saxonico *Age*, & Franco-Gallico *Aage*, ejusdem ſignificationis vocibus Hinc *Agukduth* Gothiseſt æternum. Jun. in Gloſſ. p. 41.

Ahgan Gothis ſignificabat arbitrari, ſentire, vid. Jun. in Gloſſ. Goth. p. 42. Theotiſci interpoſito T pronunciabant *Ahgten* l. *Ahten*; hinc eſt Anglo-Saxonicum *Ethan*, putare & Francicum *Ahton*, exiſtimare. Hinc noſtrum *achten*. Junius comparat cum Græco ἡγέομαι.

Ahl, quodlibet oblongum & tenue, hinc *Ale*, acicula Gallis, noſtrum *Schuch-Ahl*, & anguillæ nomen.

Ahm, *Ahma* Gothis notabat halitum, ſpiritum. Convenit cum Francico *Ahtem* vel *Athum athmon* ſpirare apud Palth. p. 406. Franci enim T interponere ſolebant, hinc eſt noſtrum *Athem*, vel *Odem*, nec non *athmen* ſpirare. conf. græcum ἄω, ἄημι, unde eſt ἄημα, flatus, itemque Latinum *anima*, & Franco-Gallicum *ame*.

Ahten a brevi, nam præcedens vox *à* longo pronuncianda eſt: Francis notabat perſequi, *verfolgen*. Vid. Somnerus ad Lipſium p. 5. Hinc eſt Germanicum *Acht*, *in die Acht erklären*, *ächten*, *ächter*.

Athon Gothis erat octo, apud Jun. p. 402. Hinc eſt Francicum.

Aht, Scandicum *Ahti*, Germ. *achte*, græcum ὀκτώ, & Lat. octo.

Aiſch Celtica vox, deforme, horridum notabat, Saxones dicunt *eiſch*, *eiſchlich*. Convenit græcum αἰσχρός.

Al, *a* longo, in omnibus prope linguis Celticis id ipſum ſignivicavit, quod Latinum *alere*, unde eſt *altus*, quaſi diu *alitus*, ut creverit. Theotiſcis vero *Alt* ſemper denotavit ſenem, quem diu cibi aluerint, hinc apud Gothos *alita* eſt ſaginatus. Vid. Jun. p. 49. Hinc etiam deſcendit vetus vocabulum *Alde*, genus, *Geſchlecht*, quod legitur in Evangeliis Ulphilæ Luc. 1. 50. In fragmento Lambeciano theotiſco apud Palthenium p. 426. legiur.

Altmaga, h. e. majores ſ. anteceſſores familiæ & cognationis. Et in Tatiano Palthenii p. 298.

Altuom Alterthum, h. e. ætas provecta. *Ald* Keroni eſt ſervus, qui a familia alitur.

All [*a* brevi] ab ultima usque ætate notavit univerſum, omne, totum, Gothis *Allei* ſunt omnes, & *Alls* totus, Jun. p. 49. 50. Apud Anglo-Saxones *All* notat omne & totum apud Cambros vero *Oll* convenit cum græco ὅλος. Similiter Scandinavi adhibuerunt hanc vocem; Hinc *Aldheyd* eſt univerſus populus

populus in Hist. Gothrici, p. 36. *Allmenninger* universas, ibid. p. 27. Germani nostri cumprimis Suevi vocabulo *All* indicarunt omnes, formaruntque novam vocem *Hel*, quæ notabat totum, quare & Suecis *helen* est totum.

Alp, *Alb*, Iapeti posteris notabat montem, unde est nomen Alpium, & testis est Isidorus, Gothos Montem *Alpem* vocasse. Scandi vocabulo *Alf* indicabant incolas montium fortissimos, & sigillatim spiritus geniosque montanos, unde est fabula Germanorum veterum *vom Alp*. Vid. Olaus Verel. ad Hist. Gothrici p. 34. Adde. *Albios* Albiones, Albigenses.

Am, *Amb* a brevi, ab ultima usque ætate significavit circa, propter. Supereſt hoc sensu in lingua Cambro-Britannica: adde Belgicum *om*; ceteræ gentes scripserunt *omb* vel *ymb*, ut Anglo-Saxones, vel *umb*, ut Germani nostri. Convenit cum Græco ἀμφὶ & Latino ambire.

Amal Gothis orientalibus notabat cœlum, hinc sunt nomina Amalfredi, Amalbergæ, Amaltrudis & Amalswindæ. Gothi occidentales dicebant Imil, quod convenit cum veteris theotisco *Himin Himmel*, de quo vid. Eckardus ad monumenta Catechetica theotisca p. 100. unde est nostrum *Himmel*.

Ambacht, *Ambachus* Cæsaris jam ætate

Gallis notavit officialem vel miniſtrum publicum, quem Feſtus Clientem vocabat. Hinc eſt Anglo-Saxonicum *embiehtan*, miniſtrare, *Emhebtmann*, miniſter publicus, noſtris, *Ambtmann*. Vid. Lipſii vocabula germanica vetera p. 2. In Tatiano Palthenii p. 276, legitur *Ambahtah*, h. e. officium publicum, & p. 337. *Ambahtidun imo* miniſtrabant illi. Hinc eſt procul dubio noſtrum *Ambt*, *Beambten*. Eadem vox Scandis hoc ſenſu recepta fuit. Et Suedis hodienum *Embte* eſt miniſterium. *Vide plura in Montano ad Cæſaris l. 6. c. 15.*

An, *a* longo, ſignificabat ſine, quam ſignificationem in lingua Suedica ſimpliciter retinuit. Hinc eſt noſtrum *ohn*.

An â brevi, in omnibus prope Septentrionalibus linguis notat ad, ſuper &c. præſertim in compoſitione vocum, hinc eſt theotiſcum *anaginne* principium, noſtrum *Anbeginn*, *Anfang*, & innumera alia. Vid. Palth. ad Tatian. p. 276. Gothi confundebant particulas *an* & *in*. Plura compoſita vid. in Gloſſ. Goth. p. 51. ſeq.

And per *a* breve, principio notavit ſuperiorem faciei humanæ partem: Hinc eſt vox *endi* frons in Gloſſario Rabani Mauri.

Andin frons cum oculis, apud Tatian. Vid. Palth. in notis p. 413. Hinc eſt noſtrum *Antlitz* quod apud Tatianum ſonat *Anluz* p. 306. Sic enim rectius legitur, quam *Anliz*, nam

nam apud Otfridum & Villeramum legitur *Anluza*, in Gloſſario Lipſii apud Somnerum p. 3. *Anlit* vel *Antliton*, Gothis *Antleiz*. Poſtea quia in fronte & oculis Zelus, ira & affectus ceteri vehementiores omnium ſe clariſſime ſpectandos exhibent;

And vel *Ando* notavit zelum, *Andoda* zelare, unde eſt Saxonicum *Anda* & *Andian*, quæ idem ſignificant apud Somnerum in Gloſſ. Lipſ. p. 2.

And a longo, Germanis priſcis notabat ſpiritum & vim animæ interiorem, unde Dani hodie ſpiritum *Aand* vocant; hinc eſt noſtrum *ahnden* i. e. interius percipere.

Ander, ſicut hodie, ita olim ſignificabat ſecundum & alium. Sic apud Gothos *Andar* erat alius. vid. Gloſſ. Jun. p. 62. Lingua Scandica *Andar* notat alium, vid. Epicedium Regneri Lodbrock p. 5. Islandi dicunt *annar*, Dani *andar*. Idem uſus vocis apud theotiſcos vigebat; ſic in Tatiano Palthenii p. 364. *Anderavies* eſt alia ratione, *andera ſtunda* ſecunda hora p. 389.

Angel vel *Ankel* notabat inflexionem, incurvationem valde ſpectabilem. Hinc Anglo-Saxonibus *Angle*, notabat hamum vel uncinum, *eine Angel* apud nos. Conf. ἀγκύλη & ἀγκὼν Græcorum, i. e. curvatura genuum & angulus & uncus Latinorum

tinorum. Vid. Mericus Casaubonus de 4. linguis.

Ang, Angust Celtis & Theotiscis notabat angustiam, compressionem; vid. Gloss. Lipsii Somneri p. 3. Anglo-Saxones dicebant *anengs*, hinc est Germanicum *Angst*. Palam est, Latinas voces, *angere, angustus* & *angustia* cum his convenire, nec non græcum ἄγχω. Suedis hodiernum usitata est vox *Aengst*, vid. Eckardus in Annot. ad monimenta Catechetica theot. p. 127.

Ans vel *Anst* omnibus prope septentrionalibus populis olim gratiam notavit, vid. Jun. Gloss. Goth. p. 62. Theotiscis dicebatur *Aenst* præsertim Tatiano vid. Eccard. l. c. p. 127. Hinc postea pronunciatum est à Theotiscis *Unst*. Inde est *Abunst* contrarium favoris vel gratiæ, odium. Vid. Eckardus l. c. Tandem præposito augmento *Ge*, ex hac radice prodiit vox *Geunst* contracte *Gunst*. Occurrit hæc radix in nominibus Ansberti (*Gunstberth*) Anserici, Ansfredi, & Ansbrandi. Postea vocula *ans* accepit significationem potentiæ & imperii: Hinc Gothis *Thiodans* dicebatur Rex gentis celeberrimæ: unde prodiit appelatio vetus *Grosse Hansen* rectius *Ansen*, & urbes potentiores dicebantur *Anse*, anseaticæ urbes: Reges vero Gothorum *Anses* audiebant.

Ant notabat olim ante & contra; Scandi dicebant

dicebant *and* nec non Gothi; vid. Gloſſ. Jun. p. 62. Idem obſervatur in lingua theotiſca; hinc eſt *Antlingen* apud Tatianum p. 290. & in Gloſſ. Keronis *Antlengan* h. e. reſpondere, quod Gothi dicebant *Andhaſgan*, vid. Jun. Gloſſ. p. 48. convenit cum noſtro *antworten*.

Antſano Tatiano eſt accipere p. 341. apud Palth. quod eſt noſtrum *entpfangen entweiden*. Theotiſcis notabat præſentem eſſe; vid. Eccard. ad monimenta Catechetica p. 114. Hæc radix in compoſitionibus frequentiſſima eſt: cumprimis huc pertinent voces, Gothicæ ex Gloſſ. Junii p. 54. *Antaſtats* adverſarius: *Antaburd* reſponſio, p. 55. *Antbeidan*, combinare, *Antbinden* ſolvere p. 58. *Anthalidan* confiteri, *Anthausgan* exaudire, p. 59. *Anthaldan* detegere, *antniman* (*entnehmen*) *antſtandan* reſiſtere, p. 60. conf. Lat: ante & græcum ἀντί.

Ap vel *Af* a longo ſimiam Celtis notavit. Hinc Gallicum vetus *Abran* Britannicum *Aprana* Saxonicum *Ape*, noſtrum *Affe*. Cambricum *Eppa*.

Ap, vel *Hap*, *a* brevi priſcis temporibus ſignificabat nectere, conjungere; Supereſt in Anglo-Saxonicis vocibus *hæp*, *hæpſe*; vid. Caſaub. de 4. Lingu. p. 250. Conf. græcum ἅπτειν, & Latinum inuſitatum *apere*, unde aptus bene cohærens. Vid. Daum. de raticibus Linguæ Latinæ deperditis.

Ar a longo, quod differt a duplicato *Aar*, significat principium, originem rei; unde apud Suedos vel hodie *ar* notat initium. Et apud Scandos veteres significabat *auroram* vel initium diei, quæ & ipsis dicebatur *Margenar*, vid. Verelii index lit. A. Sunt, qui inde derivant *auroram* latinorum, nec non vocem *æra*, *Aren* honor vid. in Germ. vet. Confer etiam græcum ἀρχή.

Ar a brevi Theotiscis aliisque populis Celticis particula fuit in compositionibus frequens, & promiscue usitata; aliquando etiam habuit significationem augendi & exaggerandi, ut nostrum *er* in vocibus *erraffen ergeben*; aliquando autem significatione alienando pollet, & convenit cum nostro *ver*, in vocibus *verkauffen*, *vergeben* &c. De utraque significatione vid. Palth. ad Tat. p. 294. & 299. Huic pertinent voces theotiscæ in Tatiano Palthenii *arfuran*, *verführen*, p. 294. *Arlösan*, *erlösen*, p. 365. *Arstandan auferstehen* p. 319. *Arwitzi*, *erwiesen* p. 349, &c.

Ara vel *Are a* longo, veteribus notabat agriculturam, hinc est Gothicum *Arian* arare Anglo-Saxonicum *Arian* vel *Arigan*, & Scandicum *eria*, quod Islandi hodie conservant, quæ omnia ejusdem significationis sunt. In legibus Frisicis Leg. 9. *era* est arare, Angli hodie dicunt *eare* Belgæ *eren*. Convenit cum græco ἀρόω, & Latino *arare*. Vid.

Jun.

Jun. in Gloſſ. Gothic. p. 64. Hinc eſt noſtrum *Æhre*, ſpica, tanquam proventus arationis. Gothi dicebant *aſſ*, quia ipſis frequens erat *s* præponere; convenit cum Latino ariſta. vid. Jun. L. c. p. 42.

Arg vel *Arc a* brevi, olim notabat grave & difficile, & deſcendit forſan à radice *ar* a longo, quod vide ſupra. Hinc eſt notiſſima & antiquiſſima vox *Arabeit* (*Arbeit*) h. e. ex primo vocis uſu difficilis & moleſta expectatio. Sed Gothi jam Sec. IV. ad laborem hoc vocabulum applicarunt, quibus *arbeitgan* ſignificabat laborare: Hinc eſt Danicum *Arbäte*, & noſtrum *Arbeit*. vid. Jun. L. c. p. 63. idem vox *Arbeiti* in Tatiano Palthenii p. 384. in Gloſſario Keronis notat tribulationem, moleſtiam; confer. Lat. *ærumna*.

Arden. Arcen, ſylva, vid. Gal. conf. are in Germ. vet.

Arg vel *Arug* notabat Theotiſcis perverſum; vid. Somnerus in Gloſſ. Lipſiano p. 4. Anglo-Saxones dicebant *Arga* nos hodie *arg*; apud Suedos eodem uſu hæc vox *argur* ſupereſt. Conferunt nonnulli græcum ἄργος & ὀργή. Diacono *argu* eſt inutilis.

Arm a longo, notabat defectum, paupertatem. Anglo-Saxones dicebant *aerm*, *earm earmu eſſe*, pauper, paupertas: Hinc noſtrum *arm*. Caſaub. de 4. Lingv. p. 202. Conf. cum græco ἔρημος, ἐρημία. Sunt, qui Scythicum nomen

nomen *Arimaſſorum* i. e. uno oculo carentium, inde derivant. Suecis uſitatæ voces ſunt *Arm*, *Armod*; aliquando notione nonnihil extenſa vel confuſa *Arme* ſignificabat miſereri. Gothi dicebant *arman*, miſereri: vid. Jun. L. c. Anglo-Saxones dicebant *orearmiun*, miſereri; Franci *armihertzîon*; *Barmihertzigkeit*; Vid. Gloſſ. Keronis. Noſtrum *erbarmen* eſt ab *erbearmen* i. e. inſigniter miſereri, indice Kiliano in Lexico Belgico, Dani quoque dicunt *Barmhertzigkeit*.

Arm a brevi, antiquiſſimis temporibus notavit brachium; ſicut hodie: hinc Gothica vox *Arms* in Gloſſ. Junii p. 66. Anglo-Saxones dicebant earm: convenit cum Latino *armus*, necnon *armilla*. Vid. Voſſ. Etymolog. Scandi eadem ſignificatione hanc vocem uſurpant: Nam *Armgeir* ipſis erat haſta manuaria, apud Verelium in Indice Hiſt. Gothrici.

Arn a brevi; majoribus noſtris ſerium ſtudium & induſtriam aliquid conſequendi ſignificavit, unde eſt vox nondum prorſus obſoleta *erarnen*, i. e. ſummo ſtudio acquirere. Anglo-Saxones eodem ſermone dicebant *earnen*; iisdem *earneſt* eſt ſerius vel ſtudioſus, quod convenit cum noſtro *Ernſt*; Vid. Caſaub. de 4. Lingu. p. 249. Conſpirat cum Græco ἄρνυμαι, ſtudio conſequor, quod idem ſcriptor obſervat. Francis *arnon* ſignificabat

ficabat mereri, vid. Palth. animad. verſ. ad Tat. p. 360. *Armung* ap. Keronem in Gloſſario eſt meritum. Hinc videtur deſcendere vox *ærnde*, ſive collectio laborum per totum anni curſum ſerio impenſorum. Hinc Carolus M. Auguſto menſi nomen dedit *Arn Monath*.

Arp, *Arb* Celtis & Theotiſcis hæredem notabat: Hinc *Arpur* Cattatum princeps, Aribo, & noſtrum *Erbe*.

Ars vel *Art* olim ſignificabat virtutem, fortitudinem, & Suecis vel hodie *Art* notat virtutem: convenit Noſtratium phraſis *von guter Art*; conſpirat etiam græcum ἀρετὴ virtus & nomen ἄρης, quod Deo fortitudinis Marti Thraces Celtæque tribuebant.

As a longo olim ſignificabat proventum agri maturum, hinc Gothis *Aaſa* notabat ſpicam, & *Aſans* meſſem; vid. Junius in Gloſſ. p. 67. Confer vocabulum *Æhre*, quod convenit cum Latino ariſta.

As vel *Aſa* a brevi, teſte Gellio divinum quid olim ſignificavit, unde eſt Aſia, in qua orbis parte Dii habitaſſe credebantur. Hinc Scandi othinum ceterosque Heroas vocabant *Aſas*. Inde & nomina aliquot urbium ſeptentrionalium deſcendunt v. g. *Aſgard*, *Weſteras* &c.

Aſe, *Aſen* & *Aſel* olim hodieque beluam tradipedem, aſinum, omnibus prope Nationibus

nibus Celticis ſignificavit; Gothi dicebant *Aſil*, Anglo-Saxones *Aſal*, Scandi & præſertim Dadi *Asen*, vel *Eſen*; vid. Jun: Gloſſ. Goth. p. 67. Angli hodie dicunt *Aſel*, noſtri *Eſel*, quod cum Latinorum *aſinus*, aſellus. manifeſte conſpirat.

Asc, vel *Asch* cinis dicebatur majoribus noſtris: Franci utebantur vocabulo Aſca; vid. Lipſ. Gloſſ. p. 4. Anglo-Saxones dicebant æxe ſc. in cs converſo, Angli *aſche*, Belgæ *Asche*. Conf. Gothicum *Azgo* cinis apud Jun. p. 76.

Ask majoribus noſtris notabat petere, magni facere, & deſiderare, tendere ad aliquid; Suedis hodienum *æskia* notat rem precioſam poſcere. Hinc eſt Germanicum vetus *aiſchen*, & ex recentiorum pronunciatione *heiſchen*. Conf. græcum, ἄξιος, ἀξιόω. Vid. Caſaub. de 4. Lingu. p. 249. Anglis *Aeske* eſt petere.

Aſt a longo olim ſignificabat amorem & quidem inſignem & vehementem, cujus radicis uſus apud Scandos præſertim permanſit, *Aſt* & *Aſtud* eſt amor in Hiſtoria Gothrici, vid. Olai Verelii index. Hinc *Aſtargydia* Celtis olim notabat Deam amoris. Videtur deinceps tranſiiſſe in notionem impetus celeris, unde ſunt *haſt*, *haſtig*.

Aſt a brevi, à prima usque ætate notavit ramum vel quamlibet aliam partem arboris

&

& frutices *Aſts* Gothis erat ramus, Francis *aſt*, vel *eſt*: vid. Jun. in Gloſſ. apud Otfridum. *Eſti* ſunt rami Scandis; *as* indicabat trabem. vid. Verelii index ad Gothrici hiſtoriam.

At a longo ex antiquiſſimo uſu ſignificabat edere, Francis *at* erat eſca, *atoda*, edere, quod Saxones vocabant *eaten*; vid. Somnerus ad Lipſ. Gloſſ. p. 3, & 4. Hinc eſt noſtrum *er æſs*, *æſsen*, vel ex recentiori ſcriptione *eſsen*. Huc pertinet vox, *Aas*, quia cadavera piſcibus, avibusque capiendis aptabantur. Ejusdem originis eſt vox frequentativa *æzen*, & Latinum *edere* non adeo procul hinc abeſt.

At a brevi, Celtis plerisque patrem notabat; Gothi dicebant *Atta*, *attans*, patres; vid. Jun. in Gloſſ. p. 70. qui obſervat ex Feſto, ſenes etiam in Italia à pueris reverentiæ cauſa *attas* dictos, atque apud Cretenſes *Eta* idem fuiſſe ac πατὴρ denique apud Græcos ceteros alumnos altoribus ſuis nomen *atta* tribuiſſe. Conf. Voſſii Etymolog. in voce *Tata* Suedis vel hodie *Atta* patrem notat, quod nomen apud gentes Slavicas tantum non omnes ſupereſt.

Au vel *Aue* Francis & Saxonibus notabat pratum, cumprimis fluvio proximum. In ſcriptoribus Latinis medii ævi legitur paulo detorſum *Auga Augia*, *Augum* & *Aucum*: In Diplomatibus longe corruptius *Algia*; Hinc

eſt

eſt nomen Algiæ divitis *Reichenau*. Franco-Galli in vocibus propriis compoſitis, v. gr. Aumont, Auval, aliisque eodem ſenſu hanc dictionem adhibent. Vid. Huetius in Originibus Cadomenſibus p. 437. Idem valebat apud Franco-Gallos vox *Eu*.

Aud, ab antiquiſſimis temporibus notavit vacuum, mane; Hinc eſt Scandica & Islandica vox *Audur* vacuus. Convenit cum Gothico *Auth* ſolus, *Authio* ſolitudo; vid. Jun: p. 76. Hinc eſt Germanicum *öde*, quod Dani etiam ſic pronunciant; Belgis Oode dicuntur tesqua vel loca inculta.

Aug vel *Auc* item *og* diutiſſime ſignificavit oculum; Gothi dicebant Augo, vid. Jun: p. 73. Anglo-Saxones *Eage*. Scandi *Aug*, Suedi *Oega*. Suevi veteres *Auga*, vel *Ouga* Belgæ *Oog*. Convenit cum Latino oculus. Junius confert græcum ἀυγὴ, quod olim Nicandro teſte, oculum ſignificavit. Hinc oritur radix Gothica, *Augan*, apparere, & facere ut appareat, oſtendere, Jun. p. 72. Anglo-Saxonica *eaugen*, idem ſignificans; hinc eſt etiam Germanicum *eräugnen ſich eräugnen*, quod corrupte ſcribitur *ereignen*. Franci dicebant *eraugar* [Helvetii erugen] Inde quoque eſt Scandicum *Auglioſt* perſpicuum, in Hiſt. Gotheric. p. 107. & Gothicum *Andaugo*, manifeſte.

Auk dictio vetuſtiſſima additionem vel aug-

augmentum significans, postea transiit in particulam *auch*, quam Belgæ & Saxones pronunciant Ook. Huc pertinet Gothicum *auk*, etiam [vid. Jun. p. 74.] Anglo-Saxonicum *eac*, Danicum *Og*, Suedicum *Oc*. Hinc est & radix *Auka*, que Gothis notabat addere, augere, vid. Jun. 75. Anglo-Saxones dicebant *Eacan*, Scandi *Auka*, Dani *Oge*. Conspirat cum Latino augere.

Aur, *u* claro, olim significavit rem excellentem vel magnitudine vel antiquitate; paucis erat particula intensiva. Hinc Scandis *aurlog* vel *orlog* notabat fatum aut vitæ exitum, qui omnium nobilissimus habebatur, nempe cædem bellicam. Unde Orlog Belgis hodie bellum notat, Vid. Verelius ad Hist. Gothrici, p. 74. Hinc apud Germanos nostros *Aurochs*, notat bovem maxime procerum & Sylvestrem, *Aurhahn*, Gallum sylvestrem nobilissimum. Huc pertinent quoque voces *Uhr Eltern*, *Urkunden*, *Urgicht*. Franci & Alemanni seditionem vocabant *Urheitz*, sive ardorem populi insignem [*grosse Hitze*] Vid. Jun. ad Tac. v. 132.

Aur, *u* obscuro, ab antiquissimis usque temporibus notavit aurem, Gothi more suo pronunciabant *Auso*; vid. Jun. p. 76. huc pertinet Græcum *ous* & Latinum *auris*, *Ausgan* audire Gothis, & nostrum *Ohr*.

Ax, Scandis aliisque Celtis securim notabat

tabat; convenit cum græco ἀξίνη, conf. radix *acus* in superioribus.

Az est particula Francica, conveniens cum Latino *ad*. Aztan est adsistere, azjungist, *dat jungste* extremum, Vid. Palth. ad Tat. p. 29.

Ba antiquissimo usu plerarumque gentium à Iapeto ortarum numerum binarium significavit; Integra mansit apud Gothos, quibus & Anglo-Saxones accedunt hoc ipso sensu. Vid. Jun. in Gloss. Goth. p. 77. Hinc sunt *Dwa*, *dwe*, *twe*, *zwe*, *zwey*.

